niſi dictum coram altero reputaretur verbum contumeliæ; tunc enim ſolius contumeliæ malitia inquinaretur.

30 Tandem deducitur, hoc deſiderium, ſi Deus vellet, ut Petrus moreretur, gauderem, poſſe in duplici ſenſu capi: alter eſt, ut divina voluntas præcedat, & noſtra ſubſequatur: quod contingit, quando nolumus, ut Deus id velit, ſed ſolum animum noſtram voluntatem divinæ conformandi habemus caſu, quo Deus vellet illum mori. Et hic actus eſt optimus. Alter verò eſt, ita, ut noſtra præcedat divinam, nempè, quia volumus Deum velle illum mori. Et tunc eſt idem peccatum, ac mortem proximi deſiderare, quia verè deſideratur. Sic *Navar. lib. 2. de reſtitut. cap. 3. p. 2. dub. 7. in nova edit. nu.* 194. Et hoc poſteriori modo ſolet ſemper contingere, quando ea verba à perſonis ira correptis proferuntur.

31 Ultima difficultas. An liceat delectatio præſens de objectis mortalibus, quæ ſub conditione deſiderare licet; ut de copula cogitata cum femina, ſi eſſet uxor. Communiter Doctores fatentur, delectationem hanc eſſe mortalem, quamvis deſiderium licitum eſſe admittant. Ita *Cajet. in opuſc. tom. 1. tract. 14. de delectat. moroſa, dub. 1. & in Summa, verbo, Delectatio, ubi Armilla n. 4. Navarrus Summa cap. 16. num. 9. Metina 1. 2. quæſt. 74. artic. 8. dub. 4. & ibi Zumel poſt 4. diſput. dub. 1. Valentia 1. 2. diſp. 6. q. 4. punct.* 4. Atq; omnes hac ratione ex *Cajetano* deſumpta id probant. Quia cum ea conditio nondum ſit in re, ſed ſola cogitatione apprehendatur, delectatio re vera, in rem tali conditione diſtitutam fertur, atque in rem, qua ratione eſt illicita, & mortalis. Quod inde probant, quia conditionalis nil ponit in eſſe, at delectatio abſolutè ſtatim ponitur non expectata conditione. Sed hanc rationem optimè confutat *Vaſquez. 1. 2. quæſt. 74. art. 8. diſputat. 114. c. 2. num.* 5. Quia ſicut in deſiderio, & propoſito efficaci copulæ cum illa muliere, ſi eſſet uxor, quæ omnes licita eſſe fatentur, apprehenditur objectum ſub conditione matrimonii, deſideratur enim copula conſentienti feminæ in matrimonium, & id deſiderium eſt in ſe complacentia quædam abſoluta: ſic cum delectatur voluntas in copula tunc habenda, non apprehenditur copula, niſi ſub matrimonii conditione. Nec obſtat conditionalem conſenſum nil ponere in eſſe, cum tamen ea delectatio ſtatim in eſſe ponatur. Quippe idem prorſus argumentum militat in deſiderio ſub eadem conditione, utpote quod ſtatim in eſſe ponitur in voluntate. Quare dicendum eſt conditionalem nil ponere in eſſe ex parte objecti ſub conditione voliti, nil enim in illo ponit; at in voluntate bene ponit illum voluntatis actum conditionalem. Unde ſicut deſiderium, & amor dicuntur conditionalia, non quia non ſint abſolutè, verè, & ſimpliciter in voluntate, ſed quia feruntur in objectum ſub conditione apprehenſum, & volitum: ita licet delectatio illa verè, & abſolutè ſit in appetitu, dicetur conditionalis, eò quòd in objectum ſub conditione apprehenſum fertur. Quare vel dicendum eſt, & deſiderium, & delectationem eſſe illicita, aut utraque licere.

32 Et ideò pro reſolutione ſuppono duplicem eſſe delectationem: quædam eſt appetitus rationalis, qui eſt voluntas, & dicitur gaudium: quædam vero appetitus ſenſitivi, quæ delectatio propriè dicitur. Hæc cum quadam corporis tranſmutatione accidit: illa autem nil aliud eſt, quàm ſimplex voluntatis motus, & complacentia quædam. Sic notat *D. Thom. 1. 2. quæſt. 31. art.* 4.

33 Id autem utramque delectationem diſtat, quòd delectatio voluntatis poſſit de objecto conditionali eſſe, non autem delectatio appetitus ſenſitivi. Et ratio diſcriminis eſt, quia delectatio conſurgit ex præſentia boni convenientis, aut ſecundùm rem poſſeſſi, aut ſaltem ſecundùm cognitionem, ſive apprehenſionem: *teſte D. Thom. 1. 2. q. 32. ar.* 3. At intellectus, ex cujus cognitione voluntas movetur, poteſt apprehendere, & proponere voluntati objectum conditione veſtitum, ac à malitia præciſum. Atque ideo voluntatis delectatio poteſt eſſe de eodem objecto ſub eadem conditione, & præciſione apprehenſo, & quaſi præſenti, & jam poſſeſſo. At imaginativa, ſeu æſtimativa, ex cujus apprehenſione movetur appetitus ſenſitivus, nullam conditionem apponere poteſt. Quia in conditionalibus eſt affirmatio & negatio, & in copula conditionali eſt quædam illatio; æquivalet enim cuidam antecedenti, & conſequenti. Ut ſi homo eſt animal, eſt ſenſibilis, æquivalet huic, eſt animal, ergo ſenſibilis: inſuper in conditionibus eſt quædam collatio, & præciſio unius rationis ab alia. Ut ſi quis velit concubitum cum aliqua, ſi eſſet ſua uxor, eſt præciſio malitiæ à copula, quæ conſiſtit in ea habita cum non ſua, apponendo conditionem, ſi eſſet ſua. Quæ omnia ſolius intellectus ſunt: imaginativa enim eſt communis hominibus, & brutis. Cum ergo imaginativa non proponat objectum ſub conditione, ſed abſolutè, appetitus ſenſitivus, qui ex ejus apprehenſione movetur, inidem objectum conditione diſtitutum fertur.

34 Hoc ſuppoſito ſit concluſio. Delectatio voluntatis de objecto conditionali, quod ſecluſa conditione eſſet peccatum mortale, non autem e poſita, non eſt illicita, ſecluſo periculo conſenſus in aliquid illicitum, aut delectationis in parte ſenſitiva. Ut gaudium voluntatis de concubitu, ſi eſſet uxor. At delectatio appetitus ſenſitivi de eodem objecto eſt lethalis. Atque de hac appetitus ſenſitivi delectatione videntur locuti *DD. num. 31. relati*: utuntur enim hac voce, *delectatio*, quæ appetitus ſenſitivi propria eſt. (Ut num. 32. diximus.) Et ratio qua id probant, concludit in ſola appetitus ſenſitivi delectatione, utpote quæ fertur in objectum: ut in ſe eſt, ac omni conditione deſtitutum. Quare cum tale objectum ſit mortale, delectatio quoque mortalis erit. At cum delectatio voluntatis in objectum ſub conditione apprehenſum feratur, ſub qua caret malitia, non eſt cur damnetur, niſi aliqua extrinſeca periculi circumſtantia addatur. Præterea quia cum malitia tam delectationis voluntatis, quàm deſiderii ſumatur ab objecto, & idem utriuſq; objectum ſit, ac in utroque militet illa ratio, conditionalem conſenſum nil ponere in eſſe (ut nu. 32. probavimus) aut utrumque, aut neutrum condemnandum eſt. Cum tamen deſiderium nemo condemnet. Tandem, quia illa voluntatis delectatio nil aliud eſt, quàm ſimplex voluntatis motus, ac complacentia quædam, & quies in bono apprehenſo: (ut tradit *D. Tho. 1. 2. q. 31. ar.* 4.) At gaudere, & quieſcere in illo bono, quod amare, & deſiderare licet, non diſſonat à ratione. Quippe deſiderium, & amor ſunt veluti motus quidam ad gaudium, tamquam ad quietem tendentes.

35 Hinc infert aliquis, eſſe culpam lethalem in his exemplis, ſi laicus ſe apprehendat ſacerdotem, ac audiendarum confeſſionum juriſdictionem habentem, magnoque fervore confeſſiones excipientem, aut ſe ex domini licentia numeroſam pecuniam expendentem, aut ſe judicem rectiſſimè munus ſuum obeuntem, ac de malefactoribus juſtiſſimas pænas ſumentem. Quod convincere videntur dicta num. præcedenti, ſi de appetitus ſenſitivi delectatione loquamur. Quia omnia hæc objecta deſtituta conditione, nempè, ſacerdotii, licentiæ domini, officii judicis, mala ſunt: & appetitus ſenſitivus fertur in ea abſolutè; ac conditione deſtituta. At dicendum eſt, talem delectationem appetitus etiam ſenſitivi vacare culpa. Quod fatetur *Valent. 1. 2. diſp. 6. q. 4. pun. 4. in fin.* & quamvis non explicet de qua delectatione loquatur, at apertè de appetitus ſenſitivi delectatione loquitur. Quia negat delectationem captam de copula cum aliqua, ſi eſſet ſua uxor, licitam eſſe, cum tamen licere delectationem in prædictis exemplis admittat. At minùs vera eſſet differentia. Nam illa quoque delectatio, ſi voluntatis ſolius ſit, eſt licita. (Ut in præced. probavi.) Nec credo aliquem delectationem in prædictis exemplis damnaturum. Et ideo, ut rationem differentiæ tradamus, dicendum eſt cum *Valentia ibid.* quædam eſſe ex ſe, & ex ſua præciſa ratione, ſecundùm quam delectant, implicantia deformitatem, & turpitudinem quamdam, quæ tamen ratione conditionis adjunctæ poſſunt excuſari: quare ſi conditio ipſa re non exiſtat, actus per ſe eſt turpis. Ut eſt actus venereus, ex cujus ratione ratio deformitatis oritur, niſi impediatur per actu exiſtentem conjugii conditionem. Similis rationis ſunt actus vindictæ, furandi, & alii in ſemetipſis intrinſecam malitiam imbibitam habentes. Atque de his delectari delectatione appetitus ſenſitivi, dum conditio actu non ſubeſt, eſt lethale, ſi objectum lethale ſit. Alia verò ſunt nec ſecundùm ſe nec, ut delectant, implicantia deformitatem, & turpitudinem, ſed in bonum ſonant, quamvis ut undequaque rectè fiant, indigeant conditione, ut contingit in exemplis poſitis largitionis eleemoſynæ, auditionis confeſſionum, rectæ adminiſtrationis officii judicis, & aliis, quæ nullam in ſe malitiam habent. Quare niſi quis delectetur etiam de hujuſmodi conditionis abſentia, non eſt cenſendus de re illicita delectationem capere. Atque ita licebit delectatio quoque appetitus ſenſitivi in his. Et ratio differentiæ eſt. Quia etſi neutrius generis res æſtimativa proponere poſſit appetitui ſenſitivo ſub conditione, ut ita ſub conditione de illis delectetur: at ſaltem repræſentare poteſt rationem communem abſtrahentem à licito, vel illicito uſu, ut concubitum ſolum, vindictam injuriæ, furtum, auditionem confeſſionum, largitionem eleemoſynæ. Quare cum in prioris generis rebus ſit malitia imbibita, objectum eſt malum, niſi ſimul conditio excuſans apprehendatur. Quod in appetitus ſenſitivi delectatione contingere nequit. Atque ideo delectatio appetitus ſenſitivi de illo mala erit. Cum ea malitia in rebus poſterioris generis imbibita non ſit, ſed ex ſe in bonum tendant, objectum non eſt malum, niſi quando apprehenditur, & delectat, ut conditione deſtitutum: quod hìc non contingit. Et ideo nec delectatio erit mala. Itaque in rebus prioris generis oportet ſimul conditionem apprehendi: non autem in rebus poſterioris generis, ſed ſufficit, ut non excludatur. Et confirmatur à ſigno. Quia circa prioris generis res ab imaginativa repræſentatas appetitus ſenſitivus effrænatè excitatur ad totum id, quod poteſt eum ad venerem, aut odium, aut rei alienæ uſurpationem juvare, inde pendenter omnino à conditione aliqua, qua hæc poſſent licita reddi. Quod in poſterioris generis rebus minimè contingit.

C A-

CAPUT III.

Qualiter conſenſus in jactantiam, qua quis de præcepti tranſgreſſione ſe jactat, aut jactari permittit, culpa?

SUMMARIUM.

Quale peccatum ſit ſe de aliquo bono laudare, & res etiam ſacras ob vanam gloriam principaliter efficere? num. 1.

Quid, ſi falſa laus de aliquo bono ſit in damnum tertii, & an id damnum ſit reſtituendum? num. 2.

An falsò laudatus de aliquo bono, non contradicens peccet? num. 3.

Laudare ſe, ſive verè, ſive falſo de aliquo peccato, quale peccatum ſit? num. 4.

An ſit duplex culpa, quando quis de eo peccato ſe laudat? num. 5.

An laudare alium verè: vel falſo de peccato, ſit culpa? num. 6.

An ſit duplex malitia in confeſſione exprimenda, ſi ea laus ſit in laudati, aut perſonarum ipſi conjunctarum præſentia? num. 7.

An alium convitiis afficiens, aut ejus infelicitati tribuens non admiſiſſe aliquod peccatum, peccet mortaliter? num. 8.

An dicteriis aliquem pungens, id eſt, El quel da vaya, *quòd ad peccatum ineptus ſit, peccet, ac reſtituere teneatur, ſi ſit contra juſtitiam? num. 9.*

Velle laudes de peccato mortali, aut eas acceptare, quale peccatum ſit? num. 10.

Audientes laudes de peccato alicujus, quando admirantes peccent? num. 11.

Quid, ſi laudans ſe, vel alium de peccato, de ſola arte, aut induſtria, aut naturali robore laudet? num. 12.

An in jactantia peccato ſint fatenda circumſtantia operis, de quo quis ſe, vel alium laudat? num. 13.

1 PRima concluſio ſit. Si jactantia, & vanagloria de aliquo bono ſit, eſt ſola culpa venialis. Quod omnes fatentur. Immo contra *Abulenſ. c. 6. Matth. q. 3. & q. 55. & Angel. verb. Vanagloria, num.* 1. res quantumvis ſacras principaliter ob vanam gloriam efficere, ut Sacramenta omnia miniſtrare, vel recipere, ſacrum celebrare, non excedit culpam venialem. Quod videtur docere *D. Thom. 2. 2. q. 132. art.* 3. dicens, tunc eſſe lethale ordinare virtutis opera ad inanem gloriam, quando in ea ultimus finis conſtituitur, omittendo præcepta Dei ob illam. Et tenent expreſsè *Syl. verb. Vanagloria, q. 2. in fine, Navar. Sum. c. 23. Lat. nu. 13. verſ. Quartò peccat, Hiſpanè, num.* 19. & alios referens *Enriquez l. 4. de pœnit. c. 36. n. 4. in commento, litera R, & lit. L.* Et ratio eſt, quia etſi debitus ordo pervertatur, ea tamen perverſio non tanti momenti eſt, nec adeò gravis injuria rebus ſpiritualibus infertur, ut pena æterna digna ſit.

2 Hoc tamen limitandum eſt, niſi in tertii damnum laus ea cederet: ſi quis enim ſe falsò magnum medicum, aut advocatum jactet, unde aliis damnum conſurgat, eſt peccatum mortale, & ſimiliter ſic alium laudare, eadem culpa eſt, quando (inquam) damnum notabile eſt, ac tenetur ſic ſe, vel alium laudans, reſtituere damnum illud. Quòd per injuſtitiam cauſa illius damni exiſtat. Ita *D. Thom. & Cajet. 2. 2. q. 112. ar. 2. idem Cajet. in Summa, verbo Jactantia. Navar. in Sum. c. 23. Hiſpanè num. 17. & 20. Latinè, num. 13. Leonardus l. 2. de juſt. c. 47. dub. 6. num. 42. Metina lib. 1. Sum. c. 14. §. 35. fol. 189. pag.* 1. ubi id exemplum adhibet. Quando competior de cathedra cum aliis, in brevi ſermone, quem de more Salmanticæ coram electoribus habet, ſua merita, ac ſtudia commendans, mentitur in re notabili, ut dicens varios ſe libros typis mandaſſe, vel aliquid ſimile, dicit eum peccare mortaliter, & teneri reſtituere cathedram ſic obtentam. Sed id rariſſimè credo evenire, quia electores, niſi alia via de iis meritis certiores facti ſint, modicam, aut nullam fidem habent, parumque incitantur. Quia ſatis norunt neminem ſe vituperaturum, & crebrò encomia falſa dici amore cathedræ obtinendæ.

3 Immo, qui falsò laudatus advertens aliquod notabile damnum inde oriturum, ſi non contradicat, nec contradicit, ſaltem quantum oportet ad illi obviandum, peccat mortaliter. Sic *Navar. Sum. c. 23. Hiſpanè, num. 17. 18. Lat. num.* 13. ubi bene addit non ſubſecuto hoc notabili damno, approbationem explicitam, vel implicitam falſæ laudis de re bona, vel ſolùm veniali, eſſe venialem: immo nec eſſe peccatum, ſed virtutis actum audire falſas laudes abſque contradictione, dummodò laudatus non eo reſpectu illis delectetur, quo falſæ ſunt, aut laudes propriæ, aut adulationes; ſed quia ſuo ſtatui neceſſariæ ſunt, ut pravum exemplum, ac ſcandalum vitentur.

4. II. Concluſio. Laudare ſe de aliquo veniali eſt veniale, & de mortali mortale. Quòd ea jactantia de re mala ejus approbationem continet, & quoddam de illa complacendi genus. Unde tamquam res gravis reprehenditur *Pſal.* 61. gravi pena comminata. Atque ita docent, *Abul. c. 6. Matth. quæſt. 8. Cajet. 2. 2. quæſt. 132. art. 3. & in Summa, verbo Jactantia, & verb. Gloria inanis. Sylv. verb. Vanagloria, quæſt. 2. & verb. Jactantia, num. unico, ubi Angelus num. 1. Tabio. quæſt. 2. Navar. Sum. cap. 23. Hiſpanè, num. 20. Lat. num.* 13. Quod verum eſt, ſive verè, ſive falſo de illo malo ſe laudet. Quippe eadem militat ratio. Atque ita docent *Cajet. 2. 2. quæſt. 112. art. 2. Sylveſt. verb. Vanagloria, q. 2. Angel. Tabiena, Navar. ibid. Leonard. num. 2. relatus*, qui bene hoc limitat, niſi ſolùm narret, ut inde appareat ejus dexteritas, ingenium, virilitas, abſque approbatione, vel affectu ipſius operis; tunc enim non erit mortale.

5. Id tamen diſtat inter jactantiam de peccato verè admiſſo, & falſam de non admiſſo. Quòd in priori caſu frequenter duplex lethale inveniatur, alterum jactantiæ de lethali, alterum verò gaudii de illo admiſſo. At in poſteriori non ita frequenter eſt duplex lethale: at eſſet utique, ſi eſſet delectatio in eo cogitato, quaſi tunc verè admiſſo. Quòd ſi in priori caſu non ſit etiam gaudium, unicum jactantiæ lethale erit, ac ejuſdem rationis, ac in poſteriori. Quare ad confeſſionem ſecluſo gaudio, nil refert, ſive jactantia ſit de peccato verè admiſſo, ſive non admiſſo.

6. III. Concluſio. Idem dicendum eſt de laudanti alium, ſi enim de peccato veniali illum laudet, eſt veniale; ſi verò de mortali, eſt mortale. Quod hoc ſit velut id peccatum approbare. Sic *Cajet. in Sum. verb. Jactantia, ubi Angel. num. 1. Tabiena qu. 2. Navar. Sum. c. 23. Hiſp. num. 20. Lat. num.* 13. ubi bene addit id verum eſſe, ſive verè, ſive falſò illum laudet; ut in ſimili diximus num. 4.

7. Immo ſi in præſentia illum laudet, vel coram ejus conſanguineis, in quorum honorem vindicta ſumpta, de qua laudat, cedit, præter jactantiæ peccatum, eſt etiam aliud mortale ſcandali neceſſariò fatendum. Quippe ſufficiens occaſio jactantiam vanam de illo peccato ſumendi datur illis: & ſi verè admiſſum ſit, datur anſa gaudiendi de illo: ſi non ſit admiſſum, deſiderandi ut admiſſum eſſet.

8. Hinc deducitur peccare lethaliter, qui alium convitiis afficit, quod oblatam vindictæ, fornicandi, aut alterius mortalis occaſionem prætermiſerit, vel qui ſibi, vel alii, vitio, aut infelicitati tribuit, occaſionem prædictam amiſiſſe. Quia hæc omnia peccati approbationem ſupponunt. Immo ſi ſit in convitiis affecti, aut ejus cognatorum præſentia, eſt quoque ſimile ſcandali peccatum, de quo numero præcedenti diximus. Quia dat illis ſufficientem triſtitiæ de occaſione prætermiſſa anſam.

9 Deducitur peccare quoque mortaliter eos, qui dicteriis alios pungunt, (vulgo, *dan vaya, o cor dele jo,*) dicentes illis cauſa joci, eſſe molles, & effeminatos, mulieribuſque ineptos, (vulgo *mariones, o no para mugeres, o mejores para una rueca,*) unde illi ut iſthæc dicteria, & velut improperia abjiciant, anſam ſe de iis vitiis laudandi ſumunt, ſeu ad ea perpetranda incitantur. Immò ſi ſit peccatum contra juſtitiam, ad quod ea dicteria incitant, tenetur iis pungens damnum reſtituere, non reſtituente eo qui illud intulit. Ut bene tradunt *D. Anton. 2. p. tit. 1. c. 12. §. 12. Navar. l. 3. de reſtit. cap.* 3. explicans particulam, palpo, in nova editione n. 31. Quia efficax damni cauſa fuit.

10 IV. Concluſio. Lethale eſt velle gloriam, & laudes de mortali, vel dum quis de eo laudatur, illas acceptare, ſibique eò quod laudetur, complacere. Quòd ſit jactantia de peccato mortali. Sic *Navar. Sum. c. 23. Hiſp. num. 15. Lat. n.* 13. Quod tamen intelligendum eſt, ut ex eo ſolùm quòd ſic laudatus taceat, ſtatim peccet mortaliter, ſed quando tacet eas laudes acceptans, iiſque congaudens. Si enim diſplicerent, & ſolùm præ pudore, aut alio reſpectu tacet, non erit mortale, niſi talis eſſet laudatus, ut tacendo ſcandalum adſtantibus præberet.

11 Ultima Concl. Quod dictum eſt de laudanti, dicendum quoque eſt de audientibus laudes: ſi enim admirentur, ac facinus tamquam laude dignum ſuſcipiant, peccant mortaliter. Quia eſt eadem peccati approbatio. At ſæpè in hoc eventu contingit de ſola arte, aut viribus naturalibus admirari, eaque ſuſcipere. Quod non eſſe lethale num. ſeq. explicabimus.

12 Monuerim tamen, aliquando ſe, vel alium laudantes de aliquo facinore, laudare non de opere abſoluto, quod eſt lethale, ſed tantùm de viribus naturalibus, arte, aut induſtria in eo peccato repertis. Ut ſi quis laudet alium, quòd quater continuò ad feminam acceſſerit, vel cum quatuor pugnarit, ſi ſolùm laudet eas corporis vires, ac in pugna dexteritatem, non eſt lethale, niſi ſit periculum in ſe, vel in alio quem laudet, jactantiæ, aut gaudii de mortali admiſſo, ratione cujus credo frequentiſſimè fore mortale. Sicut cap. præcedenti, num. 4. diximus, delectationem poſſe eſſe abſque mortali de induſtria, ac viribus in peccato mortali repertis. Quia in hoc eventu non eſt jactantia de peccato, ſed de quodam bono naturali.

13 Dubitabis autem, an in hoc jactantiæ peccato fatendæ ſint omnes circumſtantiæ, quibus peccatum illud, de quo quis ſe, vel alium laudat, affectum eſt, vel de quo ſe laudari gaudet. Ut ſi ſit de percuſſione clerici, ſit fatenda ordinis circumſtantia, vel ſi de peccato cum conjugata, ſit fatenda conjugii circumſtantia? *Navar. in Sum. Latina, in priori edit. præludio 9. num.* 4. negat fatendas eſſe circumſtantias. Sicut qui fregit votum caſtitatis, ſufficienter voti tranſgreſſionem fatebitur, dicendo ſe fregiſſe votum, non explicando quale, dummodò quando fatetur poſtea fornicationem, explicet ejus circumſtantias. Quia quòd attinet ad voti tranſgreſſionem eæ nil conferunt. At dicendum eſt fatendas eſſe circumſtantias, ſive quis verè, ſive falsò ſe, vel alium laudarit, quamvis non adfuerit de peccato admiſſo gaudium. Sicut de delectatione moroſa diximus cap. præced. nu. 11.

Quia

Quia hoc peccatum ad eam ſpeciem reducitur, cujus eſt illud peccatum, de quo eſt jactantia. Virtus enim contraria non tantùm peccatum contrarium, ſed etiam delectationes moroſas, & jactantiam, qua id peccatum tamquam bonum approbatur, cohibet. Et ſic tenent *Alcozer. Sum. c. 20. fol. 74. pag. 1. Lud. Lop. 1. p. inſtruct. cap. 5. colum. 6. à verſ. Sit igitur propoſitio, Manuel. 1. tom. Sum. 2. edit. c. 53. concl. 13. num. 13.* Et quamvis *Manuel.* videatur loqui, quando complacet ſe jactans in eo peccato, in quo caſu nequit eſſe difficultas. Quia gaudere de peccato, ſicut & illud deſiderare, eſt ejuſdem ſpeciei cum peccato ipſo: at expreſsè *Laud. Lop.* quem *Manuel.* refert, & ſequitur; loquitur etiam quando quis ſe falsò laudat de peccato non admiſſo, in quo eventu nequit eſſe gaudium. Addit tamen benè *Manuel.* priorem *Navarri* ſententiam eſſe veram, quando quis de peccato, v. g. fornicationis, ſub communi fornicationis nomine ſe, vel alium jactat, ſine gaudio, aut jactantia peculiaris turpitudinis, qua ex circumſtantia adjuncta afficitur fornicatio illa. Sicut idem diximus de delectatione moroſa cap. præced. num. 11.

CAPUT IV.

Qualiter ratione parvitatis materię mortale ex genere in veniale tranſeat: & quando parva materia cenſeatur?

SUMMARIUM.

Explicatur quando mortale tranſeat in veniale, ob materiæ parvitatem, num. 1.

Unde materiam eſſe gravem, aut levem deducatur, num. 2. & 3. ubi an oporteat conſtare materiam non eſſe levem.

An legislator, vel prælatus in virtute obedientiæ jubens, poſſit in materia levi obligare ad mortale? num. 4.

Quid, ſi illa præcepti materia levis ſit partialis, aut totalis? num. 5.

An poſſit una materia eſſe gravis reſpectu unius ſubjectionis, & levis reſpectu alterius? & quid quando frequenter peccatur in ea materia levi? num. 6.

An damnum ingens ex legis fractione, ut materia ſit gravis, ſpectetur ex damno quod imminet ex unica fractione? Refertur quædam ſententia, num. 7. & ſententia Auctoris, num. 8.

An plures materiæ parvæ coaleſcant, ut materia gravis ad mortale ſufficiens evadat? num. 9.

An in juſtitiæ materia ſic coaleſcant materiæ parvæ? num. 10.

Quid in intemperantiæ, & ſolutionis jejunii materia? num. 11.

Quid in feſtorum obſervatione? num. 12.

Quid in voto, aut alio præcepto recitandi quotidie quid modicum, aut erogandi quotidie eleemoſynam? Refertur duplex ſententia, num. 13.

Sententia Auctoris declaratur, num. 14.

Quid, ſi quis animum habeat numquam implendi id rei parvæ votum, aut præceptum, num. 15.

Quid, ſi modica vota pro eadem die multiplicata omittantur? num. 16.

An materiæ parvitas excuſans à mortali ſit ſecundùm ſe, & abſolutè ſpectanda, an in ordine ad rei præcepta quantitatem? Refertur quædam ſententia, num. 17. Et ſententia Auctoris, num. 18.

1 RES, eſt ab omnibus recepta, eam parvitatis materiæ vim eſſe, ut quodcumque mortale ex genere faciat in veniale tranſire, ſi hæc parvitas in eo reperiatur. Quia ubi materiæ parvitas eſt, modica offenſio reperitur, ac proinde non excedit culpam venialem. Dixi autem, quando in eo genere reperitur parvitas materiæ, quippe ſunt quædam, in quibus minimè reperitur, & ideò hac ratione venialia reddi nequeunt. Hoc autem contingit, quoties integra irreverentiæ, & offenſionis ratio in materia parva invenitur. Hujuſmodi ſunt illa, quæ immediatè, & directè circa Deum verſantur, ut odium Dei, contemptus ipſius, infidelitas. Quia quidquid quiſpiam neget, contemnat, oderit, infinitam Dei veracitatem negabit, bonitatem Dei oderit, infinitum eſſe contemnet. Idem eſt ſecundùm omnes in perjurio aſſertorio, quantumcumque enim rei minimæ Deus adducatur in teſtem, adducitur ut teſtis falſus, eique mendacium tribuitur. Idem contingit in ſimonia (ut benè tradunt *Navar. ſuper extravag. de datis pro juſt. vel gratia, notab. 10. n. 20. verſ. Per quæ omnia, & l. 5. conſ. in nova edit. tit. de ſimonia, conſ. 52. num. 3. Suarez. to. 1. de relig. l. 4. cap. 3. nu. 5. Hugolin. in tract. de ſimonia, tabula 1. cap. 17. in princ. n. 3.*) in ſimonia (inquam) qua aliquid ſpirituale venditur. Quamvis enim modica res ſpiritualis vendatur, & quantumvis modicum ſit pretium, eſt mortale. Quòd plenè rei ſpirituali irrogetur injuria, eam pretio æſtimando.

2 Quando verò ſit materia gravis, & quando levis, certa regula præſcribi nequit, ſed id prudentis arbitrio relinquendum. At duplex generalis regula ad id diſcernendum tradi poteſt. Prior eſt, materia, quæ multum ad finem ſubjectionis imponentis præceptum conducit, eſt gravis, & ſufficiens ad conſtituendam trangreſſionem mortalem: ſecùs quando parum ad eum finem conducit: tunc enim materia levis ad peccatum lethale reputabitur. Quare ad gravitatem, & levitatem, non eſt materia præcepti ſecundum ſe ſolam inſpicienda, ſed inſpecto etiam fine, ad quem à ſuperiore ferente legem, aut præceptum ordinatur. Atque ita docet optimè *Vaſquez. 1. 2. q. 96. ar. 4. diſp. 158. c. 6. n. 59.* quæ regula magis conſtabit ex corollario inferendo, num. 6.

3 Poſterior regula eſt: valdè attendendæ ſunt circumſtantiæ, ex quibus ſuperior ad imponendum de aliqua materia præceptum ducitur, ad judicium de illa formandum. Quia ſæpe contingit, ut materia præcepti ſit ſecundùm ſe levis, & obligationis ſub mortali incapax, at ex circumſtantiis boni communis adjunctis, quas ſuperior intendit, ſit gravis, & cadat ſub obligatione ad mortale. Ut ratione ſcandali vitandi, etiam ſi illud non eſſet ex ſe mortale, aut ratione jacturæ boni communis religionis, periculi, etiam non proximi, trangreſſionis votorum. Ita docent *Dried. l. 2. de liber. Chriſt. c. 1. poſt 2. propoſitionem. verſ. Temerariè mandantium, quod in alia edit. eſt l. 1. c. 2. art. 3. eod. verſ. Caſt. l. 1. de lege pœnali, c. 5. docum. 2. Valent. 1. 2. diſp. 7. q. 5. punc. 6. col. 957.* & optimè *Suarez. 5. to. in 3. p. diſp. 4. ſect. 6. num. 11. & 12. & diſp. 18. ſect. 3. num. 16. & 17. Sayr. in clavi regia, l. 3 cap. 7. nu. 14.* Unde bene infert *Valentia*, nonnullos decipi exiſtimantes non obligare præceptum prælati ſub mortali de ſervando ſilentio, hoc, aut illo tempore, aut de illo efficiendo, quòd ex ſe non magni momenti appareat. Quippe fieri poteſt, ut circumſtantia aliqua ei materiæ gravitatem addat. Quare ait cum *Caj. ſum. verb. Præceptum*, impoſſibile videri in jure humano ex ſola materia diſcernere præcepta ſub mortali. Cum res, quæ levis videtur, ac ſit talis in ſe conſiderata, ſit magni momenti attentis circumſtantiis, quas ſuperior ſpectat, ac ſubditi ignorant. Quare dicit *Suarez. d. diſp. 4. ſect. 6. n. 11.* debere ſatis certò, & indubitanter conſtare levem eſſe materiam, ut judicemus præceptum, quod alias ex verborum tenore ad mortale obligaret, non ſic obligare. Et rectè quidem dicit, quia in dubio non eſt ſpoliandus ſuperior ſua poſſeſſione: nec quando non conſtat injuſtitia præcepti. Ut dicemus lib. 6. tractantes de obligatione obediendi in dubio. Similiter res quæ apparet levis, poteſt ob actus excellentiam, ac materiæ neceſſitatem eſſe materia gravis. Ut conſtat in præcepto communionis.

4 Immò quantumcunque velit legislator ad mortale obligare, ſi materia ſit exigua attentis circumſtantiis, non obligabit ad mortale. Quòd cum ejus obligationis ſit incapax materia, eſt voluntas rationi diſſona. Sic *Dried. Caſtr. Valent. nu. præc. alleg. Cordub. Sum. q. 188. punct. 1. verſ. Ni tampoco. Azor. tom. 1. inſtit. moral. l. 5. c. 6. q. 5. Metin. 1. 2. qu. 96. art. 4. in 1. regula*, quam ibi impugnat *Salon. 2. 2. q. 77. art. 1. controver. 8. col. 2. verſ. 3. Sayr. in clavi regia, lib. 3. c. 7. nu. 14. qui num.* 17. limitat, ut hoc ita ſit in legislatore ſeculari, ſecùs de Prælatis Eccleſiaſticis. Sed id non credo, eo quòd ratio tradita idem de utriſq; probat. Et tradunt *Caſt. & Valent. ibid.* & videntur ſentire *Metina, & Azor.*, loquitur enim uterque abſolutè de legislatore. Immo optimè ait *Caſtro ibi*, hoc verum eſſe, etſi Prælatus jubeat in virtute obedientiæ. Cum enim materia ſit parva, nequit ſub mortali obligare.

5 Nec refert, ſive materia præcepti ſit partialis, ſive totalis; quando enim totalis eſt, ſi adhuc ſit parva non obligabit ad mortale. Quòd eſſe totalem, aut partialem præcepti materiam, nil referat; objectum enim ex ſe id non habet. Quippe cum leve ſit, nequit gravem obligationem inducere. Nec præceptum, & virtus, ad quam illa materia reducitur: nam illius vis limitatur neceſſariò à præcepti objecto levi: quare optimè tuentur multi juramentum promiſſorium, & votum de materia levi totali, ut de recitanda ſalutatione Angelica, non obligare ad mortale. Sicut ſuo loco agentes de voto dicemus.

6 Ex his deducitur primò, materiam quamdam poſſe eſſe gravem reſpectu unius ſubjectionis, at levem reſpectu alterius: quod ex diverſis utriuſq; finibus conſurgit; poteſt enim fini unius multum conferre, & ſic reſpectu illius erit gravis: at modicum fini alterius, & ob id reſpectu illius erit levis. Verbi cauſa, præcipit Eccleſia Miſſam die feſto, intendens in hoc ſpirituali profectui cujuſcumque conſulere, mortale eſt, quocumque feſto omittatur. Et idem contingeret exiſtente præcępto ad culpam obliganti in religione, ut omnes ſingulis diebus ſacro interſint, eſſet enim mortale aliqua die non audire. Quod ad eumdem finem id præceptum injungi videretur. Quippe opus hoc conſideratum, ut medium ſpirituale ad profectum cujuſcumque, eſt notabile, ac ſubinde gravis materia. At ſi in ſeculari republica, & univerſitate litteraria præcipiatur idem, non erit gravius materia: quòd comparata cum legislatoris fine, qui non eſt tam profectus ſpiritualis ſingulorum, quàm bona collegii, & univerſitatis gubernatio, non videtur gravis materia: quæ omnia optimè docet *Vaſquez 1. 2. q. 96. art. 4. diſp. 158. c. 6. num. 60.* ubi addit poſſe eſſe lethalem culpam ratione frequentis tranſgreſſionis, quamvis materia eſſet levis reſpectu finis intenti. Sed de hac limitatione dicemus lib. 6. hujus tractat., agentes quando religioſi tranſgredientes præcepta regulæ peccent.

7 Secundò hinc deducunt quidam parvitatem materiæ in legibus prohibentibus aliquid cauſa vitandi damni Reipubl. ſpectandam reſpectu ſolius hujus damni: atque ita hoc levi exiſtenti, eſſe levem, & ſolam fore venialem tranſgreſſionem, quamvis quantitas ſit in ſe notabilis. Quippe materiæ magnitudo non eſt abſolutè, & ſecundùm ſe, conſideranda, ſed reſpectu finis à legislatore intenti. At cum hic ſic vitare damnum commune, ex ſola hujus damni magnitudine perpendi quantitas materiæ debet. Sic ſentire videtur *Margarita Confeſſorum in quæſt. moral. q. An licitè poſſint transferri frumentum, & equi contra legis interdictum, fol. 246.* ubi ait non eſſe mortale extrahere, niſi quando damnum notabile inde ſequitur. Idem videtur ſentire *Mercado l. 3. de contract. c. ult. §. Eſto ſupveſto*, dicens eſſe mortale extrahere à regno triticum in anno ſterili, aut pecuniam, maximè in magna quantitate. Et quidam viri docti cenſentes non eſſe mortale vendere panem coctum contra pragmaticæ Regiæ interdictum, niſi ea ſit quantitas, ut damnum ingens Reipub. ſequatur cariori multo reddito ob id tritici pretio. Et ejuſdem ſententiæ ſunt, quos tacito nomine refert *Navar. lib. 3. de reſtit. cap. 1. p. 1. dub. 1. in nova edit. num. 33.* aſſerentes centum argenteorum, aut aureorum nummorum furtum non eſſe mortale reſpectu hominis ditiſſimi, cui modicum eſt damnum.

8 Sed dicendum eſt, non eſſe opus, ut fractio legis ex ſe nimis utilis Reipublicæ ſit mortalis, ſequi ingens damnum ex illa fractione particulari, ſed ſatis eſt quantitatem in ſe eſſe magnam. Quod optimè docet *Victoria de poteſtate civili, num. 19.* & ponit exemplum: mortalis eſt extractio pecuniæ à regno contra legem, etſi una extractio parum noceat. Quia (inquit) non ſpectatur quale damnum ſequatur uno contraveniente, ſed quale, ſi à multis, vel communiter fiat. Et probatur, quia in furto veriſſima ſententia habet dari quantitatem in ſe magnam, & mortalem, quamvis ditiſſimo parum noceat: aliàs furari centum mille aureos à diverſis, furando à quolibet unum dipondium, non eſſet lethale. Secundò, quia aliter finis legis fruſtraretur, numquam enim quilibet tantam quantitatem extrahit, ut ex ea ſola ingens Reipublicæ damnum ſequatur. Tandem, quia ideò juſtè ſuſpenditur prædo in itinere arripiens à viatore quinquaginta nummos aureos, quòd etſi id damnum non ſit notabile ſemel illatum: at magni momenti eſt, graviter id delictum punire, ne paſſim fiat.

9 Tandem circa hanc materiæ parvitatem duplex reſtat difficultas. Prior eſt, an plures materiæ parvæ, ita in unam conjungantur, & coaleſcant, ut materia gravis evadat, ac ſi peccati mortalis ſufficiens materia conſtituatur? In qua re breviter hæc regula conſtituenda eſt. Quoties parva poſtremi venialis materia nequit cum præcedentium materia moraliter continuari, ita ut pro una reputetur, nec effectus relicti continuari moraliter poſſunt, multiplicatio tranſgreſſionis præcepti in materia parva non conſtituit materiam gravem, ac culpam lethalem: ſecùs quando materiæ parvæ, aut effectus ab eis relicti, moraliter continuantur. Ratio eſt, quia cum in priori eventu, omnes eæ materiæ diverſæ ſint, nec in unam coaleſcant, nec effectus ab eis producti, nequit ex illis gravis materia conflari, ſed ſingulæ diviſæ manebunt, & ita parvæ. At cum in poſteriori caſu materiæ, vel effectus uniantur, notabilis materia evadet. Hæc conſtabit ex corollariis inde ſtatim inferendis: & eam tradit *Vaſquez 1. 2. q. 88. ar. 4. diſp. 146. c. 2. num. 3. & 4.*

10 Hinc deducitur ſemper in materia injuſtitiæ ex parvæ materiæ multiplicatione magnam conſurgere, ac ſufficientem ad mortale. Ut in furtis minimis accidit, quando enim per ea ad notabilem quantitatem furto arreptam pervenitur, ultimum rei parvæ furtum eſt mortale. Ut latè probabimus agentes: *De voto paupertatis, qualiter violetur his modicis acceptionibus, lib. 7. hujus tract.* Quia materiæ illæ parvæ continuantur, & unam coaleſcunt, & quoad ſe, & quoad effectus inde conſurgentes. Quoad ſe, quia cum furti peccatum non in ſola rei alienæ uſurpatione, ſed etiam in retentione conſiſtat: qui paulatim furatur, & nondum furta reddit dominis, dicitur furta continuare, ac ſimul actu peccare omnia ſimul retinendo, vel in ſpecie, vel in genere, hoc eſt non reſtituens rem, ſi adhuc extet, vel ejus pretium. Quoad effectum verò, quia, ex ultimo furto minimo damnum proximi in notabili quantitate conſurgit, in quo lethalis furti malitia conſiſtit.

11 Secundo deducitur, hanc quoque continuationem conſurgere in materia intemperantiæ, ac proinde ultimum, quod ratione parvitatis materiæ eſſet veniale, effici mortale ratione præcedentium, propter moralem effectus relicti continuationem. Nam cum intemperantiæ malitia in eo ſita ſit, quod corporis ſaluti, & rectæ valetudini adverſetur, & ſæpe iteratus modicus eſus, aut potus, poſſit ita eſſe immoderatus, ut hoc damnum afferat, etſi in ſingulis vicibus per ſe conſideratis modicus exceſſus ſit, ultimus fieri poteſt lethalis ratione effectus à præcedentibus relicti. Sic *Vaſquez num. 6. allegat.* Unde meritò infert ibi manifeſtè decipi eos, qui putant non eſſe mortale ſæpius in jejunii die modicum quid comedere. Quia cum ſit eademmet dies, continuantur moraliter eæ comeſtiones, ita ut efficiant unam notabilem. Secùs eſſet, ſi in diverſis diebus jejunii parum quiſpiam ſingulis diebus comederet, etſi ſimul haberet propoſitum ſic ſingulis illis diebus comedendi. Quia materiæ illæ parvæ tunc non continuantur, ut latiùs *nu.* 14. explicabimus.) Atque idem eſſet, ſi efficeret, ut diverſi comederent in die jejunii, parum tamen ſinguli; at omnium quantitas eſſet notabilis: non enim peccaret mortaliter. Quia deficit prædicta unius materiæ modicæ cum alia continuatio. Dum autem dixi, modicas comeſtiones ejuſdem perſonæ in diverſis jejunii diebus non continuari, intelligo quoad jejunii fractionem. Quia cum cujuslibet diei obligatio tranſacta die omnino ceſſet, nequit multiplex illa comeſtio diebus diverſis facta continuari ad jejunium cujuſcumque diei ſolvendum. At ſi loquamur de naturali abſtinentia, poteſt illa multiplex rei modicæ commeſtio etiam diverſis diebus facta, ita nimia & immoderata evadere, ut conſtituat culpam mortalem, nimirum, ſi prævideatur fore, ut ſaluti corporis notabiliter noceat, quia quoad effectus ex ea relictos continuatur.

12 Tertiò deducitur, idem evenire in feſtorum obſervatione. Si quis enim diſtinctis vicibus eademmet feſti die ſervilia exerceat, ita ut ſingulis vicibus parum temporis inſumat, at totum tempus ſit notabile, peccabit lethaliter: ſecùs ſi in diverſis diebus, etiamſi habeat propoſitum ſingulis diebus parvo tempore laborandi: ob eamdem rationem *num. præcedenti* traditam, quamvis *Toled. lib. 4. Sum. cap. 25. num. 2.* oppoſitum doceat, dicens eſſe mortale, cum materia eſt magna, vel continua, quia ſingulis diebus fit; cui non aſſentior. Nec ſimiliter credo eſſe mortale propter eamdem rationem, ſi quis efficiat, ut multi eodem, aut diverſis feſtis, magna temporis parte laborent, ſi omnium labor uniatur, at ſinguli tantùm modico tempore. Quod illa modica ſingulorum tempora minimè uniantur, & cujuslibet culpa non excedit venialem. Nec contravenitur directè præcepto ſanctificandi feſta, quod interdicit tanto tempore ſervilibus incumbere, ut non liceat Deo vacare. Quia in hoc eventu nec jubens, nec juſſi ita occupantur. Atque idem in ſimilibus præceptis dicendum eſt.

13 Ultimo deducitur, quid in voto, juramento, aut quocumque alio precepto recitandi quotidie quid modicum, aut erogandę quotidie modicę eleemoſynæ, dicendum ſit, quando multo temporis ſpatio violatur, ita ut ille preces, aut eleemoſynę omiſſę conſtituant notabilem quantitatem. Quibuſdam videtur in utroque eventu culpam eſſe lethalem, quando ad notabilem quantitatem omiſſam pervenitur: quod gravior ſit obligatio recitandi toto vitę tempore quotidie orationem Angelicam, quam ſemel calculum virgineum (vulgo *El Roſario.*) At hujus voti violator peccat mortaliter. Sic *Valent. 2. 2. diſp. 6. q. 6. pun. 4. colum. 1355. verſ. Ex hoc patet reſponſio. Zumel 1. 2. quæſt. 88. ar. 4. dub. penul. verſ. Nec obſtat Manuel. in 2. tom. Sum. c. 99. num. 1. Idem allegato Cano* tenet, quando is haberet propoſitum longo tempore omittendi id votum rei modicę. *Ludov. Lopez 1. p. inſtructor. c. 42. verſ. Quando quis percitus ira.* Alii inter utrumque votum diſtinguunt, ac dicunt non eſſe mortalem omiſſionem longam illius modicę orationis: ſecùs vero de eo modicę eleemoſynę voto. Quòd oratio uno die prętermiſſa non ſit neceſſario alio die implenda, ſecùs de eleemoſyna: & ideò preces omiſſę non coadunantur, at benè eleemoſynę. Sic *Sotus lib. 7. de juſt. q. 2. ar. 1. col. 4. verſ. Concluſio ergo. Aragon. 1. 2. q. 88. ar. 3. paulo poſt principium, concl. 3.* Et ſolùm loquentes de eleemoſyna tenent idem, *Metina 1. 2. q. 88. ar. 4. ad 4. Petrus de Ledeſma 2. tom. Sum. tract. 10. c. 3. dub. 1.*

14 At idem in utroque voto, vel juramento, vel pręcepto dicendum cenſeo, & ſic diſtinguendum, ſi vota hęc, quotidie recitandi modicum, aut modicæ eleemoſynæ quotidie erogandę, ſit in honorem diei, & temporis, tunc non eſt mortale, etiam ſi vota hęc ſemper violentur. At ſi non ſint in diei honorem, ſed tantùm dies pręfigatur, ut terminus, ne ultrà illum executio voti differatur, tunc licèt ſingulis diebus ſit omiſſio venialis tamquam rei modicę omiſſio; at dum notabilem orationis, aut eleemoſynę omiſſorum quantitatem attingit, erit mortale. Ratio eſt, quia in priori caſu ſingulorum dierum lapſu extinguitur obligatio pro illis diebus, ac proinde materię illæ voti modicę omiſſæ continuari nequeunt. At in poſteriori obligatio materiæ modicæ ommiſſæ non extinguitur, ſed ſemper tranſit in alium, & alium diem donec votum impleatur. Quare materię illę omiſſę tamquam adhuc debitę continuantur, ac proinde cum materia omiſſa magna evaſerit, erit culpa lethalis. Nec obſtat ratio in contrarium *numero præcedenti* adducta. Quia dicendum eſt omiſſionem ſalutationis Angelicæ quotidianam eſſe graviorem extenſivè, id eſt, ad plura extendi, quam unius calculi virginei omiſſionem: non tamen intenſivè & in ratione objecti, & obligationis voti: quia votum rei minimæ, ſive diviſivè, ſive collectivè ſumatur, culpæ venialis, ac levis obligationis limites non tranſcendit, quando eſt in diei honorem: quod ſecus in alia contingit. Et ideo hanc partem ſuſtinent *Vaſquez 1. 2. quæſt. 88. ar. 4. diſp. 146. cap. 2. in fine. Azor. tom. 1. inſtit. mor. l. 11. cap. 5. q. 3.* & videtur tenere *Sayr. in clavi regia, lib. 6. c. 6. num. 6.* dicit enim in utroque caſu eſſe mortale, ob hanc rationem, quia res omiſſæ una die obligant altera.

15 Et quamvis hi Doctores non explicent caſum, quo hic vovens haberet propoſitum omittendi longo tempore, aut ſemper illam modicam orationem, aut eleemoſynam quotidianam in diei honorem promiſſam: at ratio, cui innituntur, probat id non eſſe lethale, & ita mihi perſuadeo. Quia cum modicæ illæ materiæ non in unam coaleſcant, ſed quolibet die obligatio cujuslibet ceſſet, non poſſunt ita conjungi, ut unam notabilem quantitatem efficiant, ut vel ſic propoſitum illud in rem gravem, ac ſufficientem ad mortale conſtituendum feratur. Sicut nec mortalis reus eſſet habens animum ſingulis feſtis modicum laborandi, aut ſingulis jejuniis parum comedendi, aut ſingulis diebus quid modicum omittendi

ex horis

ex horis canonicis. Dum autem diximus *num. præced.* omiſſionem modicæ quantitatis non in diei honorem promiſſæ eſſe mortalem, dum ad notabilem quantitatem pervenit; intellige; quando in omiſſionibus illis moralis quædam continuatio reperitur. Nam ſi hæc non eſſet, longè major quantitas omiſſa cenſeretur ad hoc notabilis, Ut ſi quis hodie illud modicum omittat; & poſt duos menſes iterum modicum, & poſt annum iterum modicum. Sicut in minimorum furtis ex communi hominum exiſtimatione dici ſolet.

16 Immo, dicta *duplici num. præced.* vera videntur, etſi quis diverſa vota rei minimæ pro eadem die multiplicaret, quæ omnia ſimul ſumpta notabilem materiam continerent: eorum enim omiſſio non eſſet mortalis: etſi eſſent in diei honorem, nec omiſſio longo tempore, nec propoſitum ſemper omittendi. Ut ſi quis ſemel promiſiſſet unicam ſalutationem Angelicam quotidianam, & iterum aliam, & ſic uſque ad centum: vel modicam eleemoſynam quotidianam, & iterum modicam, & ſic uſque ad notabilem quantitatem, ſive eadem die, ſive pluribus vota hæc multiplicaret. Quia eę materię cum diverſorum ſint votorum objecta, non videntur in unam continuari, ac coaleſcere. Sicut ſi in die feſto incidat jejunium, ſacerdos tenetur in illa die ad jejunium, ad audiendum ſacrum, ad non laborandum, & ad recitandum officium canonicum: ſi ex ſingulis his obligationibus modicum quid omitteret, ita ut omnia illa modica ſint notabilis quantitas, non peccaret mortaliter. Quod nullum præceptum in materia gravi tranſgrediatur, ſed multa, ſingula tamen in levi materia. At quamvis prima facie hoc ita appareat: re tamen attentiùs conſiderata, exiſtimo materias illas modicas votorum multiplicium pro eodem die obligantium continuari moraliter, & in unam coaleſcere; ac proinde culpam eſſe lethalem omittere notabilem quantitatem illo die, ſive materiæ ſint ejuſdem rationis, ſive diverſæ, ut ſi alterum votum ſit recitandi, alterum eleemoſynæ, &c. Ducor, quòd etſi diverſa numero vota ſint; at obligatio voti unius rationis eſt, & eadem ratione ad religionis virtutem ſpectant, ejuſque præceptum, quod in re notabili tunc violatur. Sicut, qui homini promitteret magnam pecuniæ quantitatem diverſis promiſſionibus, vel diverſa obſequia, ſingulis tamen vicibus quid modicum, peccaret mortaliter non implens in notabili quantitate, perinde ac ſi unica promiſſione rem notabilem pollicitus non ſtaret promiſſis. Quia omnes illæ promiſſiones numero diverſæ pertinent ad eamdem juſtitiæ obligationem. Nec eſt ſimile de diverſis illis præceptis in feſto concurrentibus, quia cum diverſæ omnino rationis ſint, non poſſunt materię continuari. Nec eſt idem in caſu, quem *num. præced.* tetigi, quando votum rei modicę eſt in diei honorem, ac propoſitum eſt ſemper illud omittendi. Quia votum numquam conjunctim obligat ad totam illam propoſiti materiam, eò quòd materię modicę numquam in eamdem diem, idemve tempus confluant, ſed tranſacta die quęlibet ceſſat. Et ideo cum propoſitum feratur in illam, ut ex voto debitam, at ex hoc tantùm debeatur pro ſingulis diebus, & ſemper ſub veniali, propoſitum non fertur in materiam gravem. At in noſtro caſu materia illa gravis ex diverſis votis conſurgens eadem die obligat.

17 Poſterior difficultas eſt. An parvitas materię excuſans à mortali, ſit ſpectanda abſolutè, & ſecundùm ſe, ita ut quę ſic conſiderata, eſt levis, aut gravis, ſit talis in quacumque materia, etſi reſpectu totalis materię ſit notabilis, aut non notabilis pars: an potiùs reſpectivè ad rem pręceptam, ita ut dicamus eſſe modicam; quando non eſt notabilis pars rei pręceptę, quamvis in ſe gravis eſſet, & ſufficiens ad mortale in alio pręcepto? Et quidem videtur non reſpectivè ad totam materiam pręceptam ſpectanda. Quia tunc quando parva materia eſſet tota præcepti, obligaret ſub mortali. Quod eſt contra dicta *num.* 5. Et conſtat id inde ſequi: nam ſi materia in ſe parva, quando eſt tota materia, non ſat eſt ad mortale, nedum ſufficiet quando eſt ſola materię pars notabilis. 2. quia aliàs in voto erogandę hodie eleemoſynę mille nummorum aureorum, aut recitandę decies millies ſalutationis Angelicę, non eſſet mortalis omiſſio decem aureorum, aut centum ſalutationum Angelicarum: quòd ea quantitas ſit valde modica reſpectu totius quantitatis promiſſę. 3. quia ſequeretur etiam non eamdem cibi quantitatem ſoluturam jejunium in ſerotina refectione, (quam vulgo *Colacion* appellant.) Quia ſi non quantitas illa in ſe, ſed reſpectivè ſpectanda ſit, multò majori indigebit vir robuſti ſtomachi, quàm debilis. His rationibus ductus poſſet aliquis exiſtimare: materiam gravem (ſecluſis particularibus circumſtantiis, quas *num.* 4. diximus poſſe efficere, ut materia levis fiat gravis) ſive ſit pars, ſive tota pręcepti, non eſſe ſpectandam reſpectu totius quantitatis pręceptę, ſed abſolutè, ita ut dicatur pars magna ad conſtituendam mortalem pręcepti tranſgreſſionem, quę in ſe ita notabilis eſt, ut ſit capax obligandi ſub mortali, & erit levis, quę in ſe non eſt ejuſmodi obligationis capax. v. g. in obſervatione feſtorum non dijudicanda eſt parva materia, computatis viginti quatuor horis, quas dies continet, quibus à ſervilibus abſtineri pręcipitur: ſed computata temporis quantitate in ſe, quę ſufficiens eſt ad ſtatuendam obligationem ſub mortali.

18 Cęterùm hęc ſententia nullatenus mihi placet. Primò, quia communiter Doctores minorem partem reputant notabilem reſpectu totius alicujus parvi, quàm magni. Atque communiter judicant, an ſit notabilis pars necnę, reſpectum habendo ad totam pręcepti materiam. Et ſic *c. Navar. Quando, de conſecrat. d.* 1. *c.* 10. *n.* 44. ait, in horis canonicis minoribus omiſſionem ferè tertię partis cujuslibet, eſſe mortalem. Cum tamen conſtet in ſe eam partem eſſe exiguam, & ſolùm cenſetur gravis, quòd reſpectu illarum horarum ſit pars notabilis. Atque id tenet *Azor. tom.* 1. *inſtitut. moral. lib.* 10. *c.* 7. *q.* 3. ubi ait, tertiam partem in quolibet toto, ſive magno ſive exiguo, cenſeri notabilem; & partem minorem tertia eſſe etiam notabilem, quando totum aliquod eſt magnum. Idem tenet *Moneta de diſtributionibus quotidianis,* 2. *p. q.* 3. *num.* 32. ubi dicit non eamdem quantitatem conſtituendam eſſe partem notabilem, cujus omiſſio ſit mortalis in ſingulis horis canonicis, ſed pro rata, & pro cujuslibet portione, juxta ſingularum horarum longitudinem, aut brevitatem id ſpectandum. Atq; *Suarez* 1. *tom. de religione, lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 2. ait, vacare ſervilibus integra hora die feſto eſſe modicam materiam, ut ſit mortalis tranſgreſſio. Quòd reſpectu totius diei pars vigeſimaquarta, qualis eſt una hora, non appareat nimia. Atque id ſecundò probatur, quia in furto fatentur communiter DD. diverſam quantitatem exigi ad conſtituendum mortale reſpectu pauperis, & hominum communium, ac diverſam reſpectu principis, ac hominis ditiſſimi. Cur non ergo in reliquis pręceptis quantitas omiſſa, an ſit magna, an parva, erit reſpectivè accipienda? Quamobrem concludo, de hac re judicandum eodem modo, quo communiter DD. judicant de furto, nempè, ut ſit quantitas quę in ſe eſt notabilis, & ita furto accepta ſit ſemper mortalis: alia autem, quę non eſt ita notabilis, & ſic non reſpectu cujuſcumque ſit mortalis: alia tandem in ſe ita levis, ut non ſit mortalis, niſi ex extrinſeca paupertatis ejus, cui aufertur, aut damni inde illi provenientis, ſit mortalis. Sic ergo in reliquis pręceptis poteſt dari quantitas, quę etſi reſpectu totius materię pręceptę non ſit notabilis, eſt tamen in ſe talis, ut ſemper ſufficiat ad mortale. Ut conſtat in exemplo ad ducto *numero præcedenti*, in ſecunda ratione contrarię ſententię. Quare optimè dixit *Azor. proximè allegatus*, minorem tertia parte rei pręceptę poſſe eſſe mortalem, ſi omittatur, quando aliquod totum magnum eſt, quę tamen in toto non ita magno non ſat eſſet. Datur etiam quantitas ita modica, ut ejus omiſſio numquam ſit mortalis, ſive ſit tota materia pręcepti, ſive pars, niſi ob aliquam circumſtantiam extrinſecam gravis fiat. At ubi hęc non concurrunt, conſideranda eſt reſpectu totius materię pręceptę. Et hinc conſtat quid dicendum ad duo priora argumenta contraria. Ad tertium dic eam ſerotinam refectionem non concedi ad ſuſtentandam naturam, ſed ratione uſus, ne potus noceat.

CAPUT V.

Qualiter veniale peccatum poſſit in mortale tranſire?

SUMMARIUM.

Veniale an tranſeat in mortale ratione novi præcepti vitandi illud? num. 1.
An in mortale tranſeat ratione nimia frequentia id committendi? num. 2.
Explicatur c. Tres ſunt, de pœnit. d. 1. *quando ex venialibus multiplicatis conſurgat mortale, n.* 3.
Propoſitum committendi omnia venialia an ſit mortale? n. 4.
Veniale an ob committentis ſanctitatem, aut dignitatem fiat mortale? num. 5.
In quintuplici caſu veniale tranſit in mortale, num. 6.
Quando ratione finis adjuncti id accidat, & an tunc ſat ſit mortalem illum finem fateri, non explicato medio de ſe veniali? num. 7.
Quando ratione contemptus, & quando is cenſeatur? num. 8. *&* 9.
Quid ſi non ſit contemptus legis, ſed ſolius executionis? num. 10.
An ſit mortale, quando contemptus, & inobedientia non eſt ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, & in ea re parva? num. 11.
An ſit idem nolle obedire ex contemptu, & ex indignatione, & an hoc ſit mortale? num. 12.
An contemptus ſuperioris, ejuſve auctoritatis ſit mortalis? n. 13.
An veniale tranſeat in mortale, quando in veniali conſtituitur ultimus finis, & quando id contingat? num. 14.
An ſat ſit tunc fateri mortale admiſſum, an potiùs ſit etiam nimius ille ad veniale affectus fatendus? num. 15.
Explicatur c. Unum orarium 25. *d, qualiter veniale dum placet, fiat mortale, num.* 16.

1 NON diſputamus, an idem numero actus, qui priùs erat venialis, poſſit mortalis effici. Hoc enim ad rem metaphyſicam, & non ad mores, de quibus agere noſtri inſtituti eſt, pertinet, ſed conſulantur *D. Thom. & Doctores* 1. 2. *q.* 88. *art.* 4. Sed diſputatio eſt, an veniale tranſeat in mortale ratione alicujus circumſtantię adjunctę, ſive dicamus eſſe eumdem numero actum, ſive diverſum. I. Concluſio ſit. Veniale non tranſit in mortale ex eo, quòd novum ſuperioris pręceptum, aut divinum naturale illud prohibens accedat, ſed erit duplex ſola venialis culpa. Quia cum id peccatum ſit ſolùm veniale ratione parvitatis materię, nec hanc pręceptum ſuperadditum mutet, nequit fieri ob eam rationem mortale. Et hoc clariùs conſtabit in tractatu *de voto*, ubi dicemus votum

venialis peccati vitandi ad aliud tantùm veniale obligare. Et ita impugnato *Almain* tradit *Azor. to.* 1. *inſtitut. moral. l.* 4. *cap.* 9. *q.* 10. Hoc autem intelligitur attenta ſola novi pręcepti ratione, nam poteſt eſſe, ut ex nova qua ſuperior ducitur ratione ad id pręcipiendum, materia efficiatur gravis, & pręceptum obliget ad mortale. Ut diximus *cap. præced. num.* 3.

2 Secunda concluſio. Nec veniale tranſit in mortale ratione uſus, & conſuetudinis committendi venialia. Sic contra *Angelum, verbo Inobedientia, in fine principii, D. Antonin.* 2. *p. tit.* 9. *cap.* 3. §. 3. dicens eſſe mortalę, eò quòd ſit quidam legis contemptus, tenent *Scotus, Gabriel, Almain*, quos refert, ac ſequitur *Azor. d. lib.* 4. *inſtit. moral. cap.* 9. *q.* 11. Quia actus replicati ſunt ejuſdem ſpeciei cum primo, ac proinde ejuſdem deformitatis. Si ergo primus venialis eſt, & cęteri veniales erunt. Nec frequens legis tranſgreſſio dicitur ejus contemptus. Ut benè tradit *D. Thom.* 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *ad* 3. *communiter receptus*. Quippè contemptus peccatum in voluntate ſola perficitur interiùs, non autem in opere, quod exteriùs fit: ac proinde ob ſolam externi operis multiplicationem contemptus induci nequit. Advertit tamen benè *Azor. ibi*, hoc eſſe verum per ſe, & ex ſola venialis natura. Quia aliquando ex venialium frequentia conſurgit mortale, non præciſè ratione frequentiæ, ſed ratione periculi proximi incidendi in mortale, cui frequenter admittens venialia exponetur, attenta ejus fragilitate. De qua re latiùs agemus *l.* 6. *hujus tractat.* agentes de obligatione religioſorum ad ſervandas regulas.

3 Hinc deducitur intellectus ad *c. Tres ſunt de pęnit. d.* 1. quod eſt ex *D. Auguſt.* ubi clarè ſentit, ac ſimilibus adductis probat, ex venialibus multiplicatis mortale conſurgere. Quod (ut jacet) falſum eſſe tradit *D. Thom.* 1. 2. *q.* 88. *art.* 4. ab omnibus receptus, & probavi *numero præcedenti*. Quare juxta ibi dicta intelligitur *D. Auguſt.* ut venialia multiplicata aliquando in mortale tranſeant, non ratione frequentiæ, ſed periculi in mortale incidendi. Aliquando etiam ex multis venialibus conſurgit unum mortale, non quòd venialia in mortale tranſeant, ſed quia erant venialia ex materiæ pravitate, atque modicæ illæ materiæ continuantur, ut unam gravem efficiant. Ut latè, *c. præc.* dixi.

4 Secundò deducitur, propoſitum committendi omnia venialia quotquot ſe obtulerint, ſolaque mortalia vitandi; eſſe mortale, quamvis contemptus deſit. Non quidem id contingit ratione objecti præciſè ſumpti: omnia enim venialia in unum collecta non habent in ſe, & formaliter, niſi venialem malitiam: ſed quia illius propoſiti objectum in ſe continet apertiſſimum peccandi mortaliter periculum. Et culpa hæc adverſatur præcepto ſervandæ charitatis. Sicut velle peccare mortaliter non determinando aliquam ſpeciem. Et ex eo propoſito oriri hoc periculum, conſtat ex multis ſimilibus, quæ affert *D. Auguſt. relat. c. Tres ſunt, de pęnit. d.* 1. & docet optimè *Alenſis* 4. *p. q.* 65. *membr.* 3. *art.* 1. §. 1. Cum enim Sancti, & Doctores paſſim tradant venialia diſponere ad mortale, quis dubitet affectum nullius venialis vitandi voluntate, eſſe in proximo mortalis admittendi periculo? Et hoc ſignificat *gloſſa penultima d. c. Tres ſunt*, dicens contemptum multorum venialium efficere mortale. *Et Sotus* 4. *d.* 15. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 1. dicens contemptum omnium venialium forſan eſſe mortalem, ratione periculi. Neque enim de contemptu formali intelligi poſſunt: unius enim contemptus formalis eſt mortalis: (ut *num.* 8. dicam) ſed de interpretativo, qualis eſt, dum quis ita venialia parvipendit, ut nullum vitare proponat. Immò propoſitum committendi omnia venialia in materia periculoſa, ut luxuriæ, credo eſſe mortale. Ut propoſitum admittendi confabulationes, aſpectus, tactus, quoties ſolùm venialia fuerint. Quod apertum libidinis mortalis periculum ſit.

5 III. Concluſio. Nec veniale fit mortale, ex peccantis dignitate, aut ſanctitate. Quod cum materia, & objectum maneant levia, dignitas, ac ſanctitas peccantis malitiam augent, non tamen ita, ut in mortalem transferant. Sic *Azor. to.* 1. *inſtit. moral. l.* 4. *c.* 9. *q.* 14.

6 IV. Concluſio. In quinque caſibus veniale ex genere ſuo tranſit in mortale. I. eſt, ratione finis adjuncti. II. ratione contemptus. III. eò quòd in veniali ultimus finis conſtituatur. IV. ratione ſcandali. Ultimus, ratione periculi proximi in mortale incidendi. De tribus primis modis ſermo erit in præſenti. De ſcandalo agam *duplici capite ſeq.* De periculo à *c.* 8. uſque ad 11.

7 I. Ergo caſus eſt, ratione finis adjuncti. Quod juxta omnes contingit, quoties finis eſt mortalis. Ut ſi quis leviter mentiatur, ut fornicetur. Quia cum finis mortalis ametur, mortale eſt. Quod non eſt accipiendum, quaſi tunc ſit duplex mortale, & utrumque in confeſſione neceſſariò dicendum. Sed ſatis eſt, id malum deſiderium fateri, ex quo tota malitia mortalis in id veniale derivatur. Atque ita non erit neceſſarium fateri id mendacium leve: ſecluſa enim malitia mortalis finis, manet veniale, quod non eſt neceſſariò fatendum, quamvis optimum ſit illud quoque fateri.

8 Secundus modus eſt, quando veniale committitur ex contemptu. Quod omnes tradunt cum *D. Thom.* 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. Quia etſi materia præcepti obliganti ſub veniali ſit levis: contemptus tamen præcepti eſt gravis. Contemptus autem non dicitur, quando ex malitia, aut prava conſuetudine, aut alia ex cauſa violatur præceptum: hic enim contemptus dicitur ſolùm interpretativus aliquando, nec ſufficit ad efficiendum ex veniali mortale. Sed contemptus formalis hoc efficiens eſt, quando contemptus eſt cauſa ejus peccati committendi: nimirum, quia ideò quis id præceptum violat, quia præceptum eſt, ſeu quia ipſi, aut ſuperiori præcipienti ſubjici non vult. Cum enim ſuperior ſit lex quædam animata, idem eſt nolle ſubjici legi, & nolle ſuperiori. Quare contemptus tendit formaliter, & directè, contra legis, ac legislatoris ſuperioritatem. Sic explicant *D. Th. d. art.* 9. *ad* 3. *& ibi Cajet. & in Sum. verb. Contemptus, verſ. Contemptus autem, & ibi Angelus, Sylveſt. Tabiena, Armilla in ſuis Sum. ſtatim in princip. Idem Sylv. verb. Relig.* 1. *quæſt.* 12. *dicto* 4. *D. Antoninus* 3. *part. tit.* 16. *cap.* 1. §. 9. *Caſtro lib.* 1. *de lege pœnali, c.* 5. *documento* 6. *in fine. Corduba in regulam D. Franciſci, cap.* 10. *quæſt.* 3. *punct.* 2. *paulò poſt principium. Sayr. in clavi regia, lib.* 3. *c.* 7. *num.* 16. *Valentia* 1. 2. *diſput.* 7. *quæſt.* 5. *puncto* 6. *columna antepenultima caſu* 1. *&* 2. 2. *diſput.* 10. *qu.* 4. *puncto* 5. *colum. antepenultima, verſic. Circa quartam circumſtantiam. Leonardus lib.* 2. *de juſtit. cap.* 7. *dubio* 1. *num.* 2. *& cap.* 41. *dubio* 9. *num.* 74. *Vaſquez* 1. 2. *quæſt.* 96. *art.* 4. *diſp.* 158. *cap.* 4. *num.* 37. Et hoc idem eſt, quod aliis verbis tradunt *Navar. Summa, cap.* 23. *num.* 42. *Azor. tomo primo, inſtit. moralium, lib.* 4. *cap.* 9. *q.* 15. *Leonardus eo cap.* 41. *dubio* 9. *num.* 36. ubi ajunt hunc contemptum eſſe quando quis ad legis, aut præcepti violationem ducitur, ut ea parvipendat.

9 Hinc deducitur, peccare ex contemptu, importare duo, nempè, actum peccandi, & cauſam ejus. Quod optimè docent *Cajet. eodem art.* 9. *ad finem, & Valentia eo puncto* 6. *caſu* 1. Atque hoc peccatum contemptus eſt peccatum inobedientiæ formalis. Ut benè tradunt *Valentia eodem caſu* 1. *& Vaſquez eodem num.* 37. Quòd inobedientia formalis conſiſtit in voluntate non obediendi præcepto, eò quòd præceptum eſt, & ideò includit formalem præcepti contemptum. Ut tradit *D. Tho. ab omnib. receptus* 2. 2. *q.* 104. *artic.* 2. *ad* 1.

10 Sunt tamen hìc quatuor obſervanda. Primum eſt, aliud eſſe contemptum præcepti, aut legis, ſimpliciter, & abſolutè; & aliud contemptum, non quidem illorum, ſed dumtaxat executionis illorum, hìc, & nunc. Etſi enim aliquis averſetur animo executionem legis, ac præcepti, hìc, & nunc dumtaxat; non propterea contemnit regulam, ita ut nolit illi ſubjici. Et ideò non incurret hanc contemptus culpam. Sic tradit *Valentia* 2. 2. *diſput.* 10. *q.* 4. *punct.* 5. *col. penult. verſ. Cæterùm diligenter.*

11 Secundum eſt. Aliud eſt contemnere præceptum ſimpliciter, aliud contemnere ſecundùm quid. Priori modo contemnit, nolens ſimpliciter præcepto ſubjici, & obedire. Poſteriori autem, volens obedire, & ſubjici abſolutè: at renuit hìc, & nunc, ne in hac re levi ſubjiciatur. Prius eſt lethale: poſterius autem veniale: cum non ſit ſimpliciter contemptus. Ita docent *Cajet. Summa verb. Contemptus, verſic. Adverte hìc, & ibi Armilla num.* 3. *Sotus* 4. *d.* 15. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 1. *verſ. Hìc animadvertendum. Corduba in regulam D. Franciſci, cap.* 10. *q.* 3. *puncto* 2. *paulo poſt principium. Valentia* 1. 2. *diſput.* 7. *quæſt.* 5. *puncto* 6. *columna antepenultima, in* 1. *caſu*. Et ſic dicunt *idem Cajet. in Summa, verbo Inobedientia. Ludovicus Lopez* 1. *part. inſtructorii conſcientiæ, cap.* 55. *in fine. Valent.* 2. 2. *diſp.* 7. *quæſt.* 3. *punct.* 3. *colum.* 1. *verſ. Cæterùm ſicut accidit*, inobedientiam formalem in re minima non eſſe lethalem, quando nolle obedire non eſt abſolutum, ſed in re illa minima. Quòd contemptus non ſit abſolutus, ſed ſecundùm quid, nempe, in re minima. Addit autem *Valentia eo punct.* 3. *eodem verſic. Cæterùm ſicut accidit*: levem materiam quoad hoc reputari, quoties præceptum non eſt valde ſtrictum, ſive quia ſit de re levi, ſive quia ſub ſolo veniali obliget, ſive quia non cum magna voluntatis intenſione ſuperior id imponat. Sed exiſtimo, ſi id obliget ad mortale, reputari ſemper materiam gravem, ut nolle illi obedire ex contemptu ſit contemptus ſimpliciter, mortaliſque, ultra malitiam fractionis illius præcepti. Si autem ſub ſolo veniali, habebit locum contemptus ſecundùm quid, excuſans a mortali contemptus labe, juxta prædictam Auctorum ſententiam. Atque a fortiori id eveniet, quando pręceptum nec ſub veniali obligat: Sed adhuc prędicta ſententia eſt cum grano ſalis intelligenda, & ſic diſtinguendum eſt, ut optimè diſtinguit *Leonardus lib.* 2. *de juſt. cap.* 46. *num. penultimo, & ult.* Aut enim eſt contemptus pręcipientis, aut præcepti. Si eſt contemptus præcipientis, & ille ſit Deus, eſt enim præceptum divinum, conſtat eſſe graviſſimum mortale. Si autem pręcipiens ſit homo, eſt enim præceptum humanum, nec contemnatur poteſtas ipſa tamquam nullius momenti, ſed homo ipſe, quia imprudens, aut alia ratione, & non abſolutè, ſed in re illa parva, non eſt mortale. Quod clarius conſtabit ex dicendis *numero* 13. Si verò ſit contemptus præcepti in re illa parva, & illud ſit humanum, nec abſolutè contemnatur, ſed ſecundùm quid, quatenus eſt rei modicæ, habet locum prædicta Doctorum doctrina, ut non ſit mortale. Si verò ſit divinum, & contemnatur ac inutile, & vanum, eſt mortale, continet enim tacitam blaſphemiam. Sed ſi non reputetur inutile, ſed parvi fiat, quia non obligat ad mortale, & ideo violatur, dicit *Leonard. ibi* fortè non eſſe mortale. Sed ego non audeo a mortali excuſare. Quia magna eſt inordinatio pręceptum Dei ita temnere.

12 Tertium eſt. Aliud eſt nolle obedire ex indignatione, & aliud ex contemptu. Quod ex indignatione fit, quando quis non vult in aliqua re obedire, non eo quod ſuperiori ſubdi renuat, ſed ne ipſum ea re ſolatio afficiat. At ex contemptu eſt, quando renuit, eo quòd ſubjici non vult. Sic *Cajet. Sum. verb. Contemptus, verſ. Adverte hic, & ibi Armil. num. 2. Cordub. & Valent. eo caſu 1. alleg. num. præceden. Leonard. eo c. 46. num. penul. in fine*. Quare nolle obedire ex indignatione non habet circumſtantiam mortalem additam tranſgreſſioni præcepti, qualem habet nolle ex contemptu. Sic ex iiſdem colligitur, & docent *Valent. & Leonard. ibid.* Quod intellige, quando indignatio non eſt mortalis.

13 Ultimum eſt. Semper eſt mortale temnere Prælatum, ut Prælatus eſt, & à Deo auctoritatem habet. Ut bene docent *Sylv. verb. Contemptus, q. 3. & ibi Angel. num. 1, Tab. q. 2. Leonard. eo c. 46. num. penul. Caſtr. lib. 1. de lege pœnali c. 5. concl. 1.* qui bene addit id ita eſſe, ſive temnatur appretiando illum minùs, quàm oportet, ſive illi indignando, aut convitia inferendo. At non ſemper eſt mortale, quando alia cauſa temnitur, ut quia imprudens, aut infimæ ſortis. Ut bene docet *Caſtr. id probans eo c. 5. concl. 2. Leonard. ibid.* Et nec eſſe mortale credo, quando non abſolutè deſpicitur, ut Prælatus, ſed quòd ejus auctoritas ſit exigua, aut circa res leves. Sicut in ſimili dixi *num.* 11. Quia non eſt ſimpliciter temnere, ſed ſecundùm quid.

14 Tertius caſus eſt, in quo veniale tranſit in mortale, quando in veniali ultimus finis conſtituitur. Quod docet *D. Th. ab omnibus receptus 1. 2. q. 88. ar. 5.* Ad hoc autem non ſatis eſt, committentem veniale ferri nimis intensè in objectum illius: ſed tunc id evenit, quando eo affectu id committit, ut non dubitet ad id committendum, tranſgredi præceptum ſub mortali obligans. Sic *D. Th. 2. 2. q. 132. ar. 3. in corp. & 2. d. 24. q. 3. ar. 6. in corp. Palud. 4. d. 16. q. 1. ad finem. Toled. l. 3. Sum. c. 2. num. 3. Vaſquez 1. 2. q. 88. ar. 3. nota. 1. & ar. 4. diſp. 145. c. 2. in fin.* Hoc tamen ſano modo intelligendum eſt: non enim veniale committenti imputatur id peccatum, quod committeret, vel ad committendum eſt habitu paratus, niſi quatenus modò virtute illud admittit per præſentem amoris appretiationem.

15 Ex his deducitur, in hoc eventu non tantùm eſſe fatendum id committendi mortalis propoſitum, ſed etiam eum ad veniale affectus exceſſum. Quod etiam in operibus indifferentibus, ob quæ præceptum ad mortale obligans omittitur, docet optimè *Suar. 4. tom. in 3. par. diſp. 22. ſect. 4. num. 11.* ubi diſputans an omittens ſacrum ob ſtudium, teneatur ultra ſacri omiſſionem confiteri eam finis circumſtantiam, nempe, ſtudium, propter quod omiſit ſacrum: reſpondet poſſe illum bifariam ex hoc fine operari, priori modo, ex vehementi, & inordinato ad illum affectu, poſteriori, ex ſua libertate, & facilitate. Quando priori modo operatur, ait illam finis circumſtantiam neceſſariò fatendam. Quia malitiam ſpecie diſtinctam, & gravem continet. Et probat, eò quòd veniale efficiatur mortale, quoties in ejus objecto ultimus finis conſtituitur. Quod in hoc caſu contingit. Secùs quando poſteriori modo. Quippe tota peccati malitia in præcepti omiſſione conſiſtit, atque ex ea in finem redundat. Quare explicata omiſſionis malitia, tota culpa explicatur. Et quando hoc poſteriori modo contingit, dicit eſſe explicandum *Almain*, *qui tract. 1. moral. cap. 10. in fin.* ait ſufficere fateri omiſſionem. Et eodem modo intelligendus eſt *Azor. tom. 1. lib. 4. inſtit. moral. cap. 3. quæſt. 7.* ubi idem dicit, quod *Almain*.

16 Secundò deducitur, qualiter intelligatur *D. Aug.* qui (ut refertur *c. Unum orarium verſ. Hinc etiam 25. d.*) ait nullum eſſe veniale, quod non fiat mortale, dum placet. Quod etiam tradit *gloſſ. ordinar. in illud 1. Corint. 11. Reus erit corporis*: intelligitur enim dupliciter, (ut bene *Azor. tom. 1. inſtit. moral. l. 4. c. 9. quæſt. 13.*) 1. de ſolo veniali ob deliberationis defectum, fit enim mortale, dum plena deliberatione placet. Secundo modo, de omni veniali, quando ex legis contemptu placet, juxta dicta *num.* 8. Vel 3. poteſt intelligi, quando in eo ultimus finis conſtituitur, juxta dicta *num.* 14.

CAPUT VI.

Qualiter opus indifferens, aut veniale, in mortale ratione ſcandali tranſeat

SUMMARIUM.

Scandalum paſſivum quid, & quale peccatum ſit? Et quid ſit activum, & datum, & acceptum, & per ſe, & per accidens? num. 1.

Quando ſcandalum ſit ſpeciale peccatum? Refertur duplex opinio, num. 2.

Non eſt ſpeciale peccatum, ſed generale ſcandalum pertinens ad eamdem peccati ſpeciem, ad quam peccatum, ad quod eſt inductio, quando non intentione ruinæ ſpiritualis proximi peccatum fit, num. 3.

Inducens ſuo pravo exemplo ad furtum eſt duplicis furti reus, & ſic de aliis peccatis, num. 4.

An hic teneatur reſtituere, etiam ſi Judex, aut Epiſcopus ſit? num. 5.

An quando ſcandalum eſt generale peccatum, ſit ejus circumſtantia fatenda? num. 6.

Quando fatenda ſit, & an eveniat, quando operans eſt talis, aut coram talibus, qui non inducuntur omninò, aut jam inducti ſunt, & an ex hoc capite excuſentur multi? num. 7.

An ſit quoque fatendum peccatum, ad quod quis ſuo exemplo inducit: & ſi adſit animus ruinæ alterius, is animus, & ſi ob perſonæ diſplicentiam ea fatenda ſit, & quot perſonis ſcandalum datum ſit? num. 8.

An ſcandalum activum ſit mortale ex genere ſuo? num. 9.

An ſcandalum ſpeciale, quo quis etiam peccando mortaliter intendit ruinam proximi in veniale, ſit mortale? num. 10.

Scandalum generale ſolo opere indifferenti, aut veniali datum, an ſit mortale? num. 11.

An ſcandalum, ob quod paſſim Doctores opus aliquod damnant, aut eo ceſſante approbant, ſit generale, an ſpeciale? num. 12.

An petere corpus à meretrice parata contineat ſcandali ſpeciem neceſſario fatendam? Refertur ſententia quædam, num. 13.

Sententia Auctoris proponitur, num. 14.

Dum dicunt Doctores profeſſim fictè, aut virum conſcium occulti adulterii uxoris, non poſſe manere in eodem loco ſeparatim ob ſcandalum: at poſſe in longinquum recedere, de quo ſcandalo intelligant? num. 15.

Mulier ſe conſpectui eam adamantis offerens, an peccet ſcandali peccato? Refertur quædam ſententia, num. 16.

Sententia Auctoris, num. 17.

An ſolum detur ſcandalum generale, quando inductio fit ad peccatum ejuſdem ſpeciei, quod ſcandalizans perpetrat? Refertur duplex ſentiendi modus, num. 18. & 19.

Explicatur ſententia Auctoris, num. 20.

An offerre occaſiones peccandi alicui, ut deprehenſus puniatur, liceat? Remiſſivè, num. 21.

CUM paſſim Doctores circa ſingula præcepta tradant plurima continere culpam ratione ſcandali, & eo ceſſante vacare culpa, aut ſaltem mortali, oportet explicare quale id ſcandalum eſſe debeat, & quando ſpeciale peccatum ſit. At quod explicandum ſuppono ſcandalum eſſe duplex, aliud paſſivum aliud activum. Paſſivum eſt ipſa proximi ſpiritualis ruina, ſeu peccatum illud, in quod occaſione accepta ab alterius dicto, vel facto labitur. Et hoc non eſt ſpeciale peccatum, cum lapſus hic in quodcumque peccati genus contingat: & ſi lapſus ſit in veniale, erit veniale; ſi verò in mortale, erit mortale. Quod univerſi fatentur cum *D. Th. 2. 2. q. 43. ar. 2. 3. & 4.* Quare nec circumſtantiam aggravantem peccatum, ſed monſtrantem peccantis infirmitatem addit. Ut bene *Cajet. Sum. verb. Scandalum*. Activum autem eſt, dictum, vel factum minùs rectum præbens ruinæ occaſionem proximo. Sic ex *D. Hieronymo* illud definit *D. Thom. d. q. 43. art. 1.* Dicitur, dictum, vel factum; quia omnia peccata externa, quæ ſola ſcandalizare poſſunt, utpote, quæ ſola à proximo cognoſcuntur, ſunt operis, vel oris. Dicitur, minùs rectum, id eſt, quod ex aliquo capite caret debita rectitudine, aut quia in ſe malum eſt, aut mali ſpeciem habet, aut ſi nec hanc habeat, dicitur inordinatum, aut minùs rectum, eò quòd gratia vitandæ proximi ruinæ dimittendum eſſet. Dicitur occaſionem ruinæ præbens, & non cauſam: quippe à nulla re extrinſeca, tamquam ab efficaci cauſa poteſt voluntas ad peccandum trahi, ſed tantùm tamquam ab occaſione duci, ſi ipſa ſponte velit. Deinde ad denotandum malitiam ſcandali in eo ſitam eſſe, ut proximus labatur, & ſic ſcandalum paſſivum accipiat, ſed in oblata ſufficienti ruinæ occaſione. Quare optimè dixit *D. Thom. ab omnib. receptus d. q. 43. ar. 2.* poſſe inveniri ſcandalum activum abſque paſſivo in alio. Rurſus ſcandalum paſſivum eſt duplex, quoddam datum, quod ſolet etiam dici ſcandalum puſillorum: & eſt id, quod ex vero alterius activo ſcandalo oritur. Aliud acceptum, quod ſcandalum Phariſæorum dicitur, & eſt id, quod ex ſola accipientis malitia oritur. Illud appellat *D. Thom. d. q. 43. ar. 1. ad 4.* ſcandalum per ſe, hoc autem ſcandalum per accidens. Quamvis *art.* 3. aliter hæc uſurpet, appellans ſcandalum per ſe quando ſcandalizans ruinam proximi directè intendit: per accidens autem, quando eam non intendit, ſed ſatisfacere ſuæ cupiditati, vel alium finem.

2 His præmiſſis potiſſima difficultas eſt, quando ſcandalum ſit ſpeciale peccatum. Quidam id evenire cenſent, quoties probabiliter putandum eſt, fore ut dictum, vel factum unius occaſionem ruinæ alteri præbeat, quamvis præter ſcandalizantis intentionem id accidat. Ducuntur, quòd in omni alia materia morali, in qua peccatum ex damno illato ſpeciem ſortitur, non eſt opus intentione directa illud inferendi, ut in furto, uſura, ſacrilegio, fornicando in Eccleſia: ſed ſatis eſt indirecta, qua illud prævisum non vitatur. Ita tuentur *Sylveſter verb. Scandalum, q. 2. Petr. de Soto lect. 9. de confeſſ. ad fin. Navarr. Sum. c. 6. num. 19. &c. Conſideret. §. Animadvertere, num. 5. de pœnit. d. 5.* Et alii quos refert, & ſequitur *Valentia 2. 2. diſp. 3. q. 18. punct. 2.* Alii ſic diſtinguunt, ſi opere malo detur occaſio peccati præter ſcandalizantis intentionem, non eſt ſpeciale ſcandali peccatum: ſecùs ſi opere bono habenti mali ſpeciem. Ducuntur, quòd in priori caſu peccatum illud aliunde malitiam ſpecificam habeat. Ut ſi eſt furtum, furti; ſi fornicatio, fornicationis. In poſteriori autem minimè; quare ſi eam ad ſpecialem ſcandali malitiam non reducamus, nullam habebit. Sic *Cajet. Summa, verb. Scandalum, & 2. 2. quæſt. 43. art. 4.* ubi *Bannez dubio 1. Covarr. reg. Peccatum 1. p. in init. num. 4. Enriquez lib. 5. de pœnit. cap. 6. num. 3. commento in litera Q.* Et alii, quos referunt, ac jure optimo improbant *Valentia*

proximè

proximè allegatus, & Vaſquez 1. 2. q. 73. ar. 8. diſp. 102. cap. 1. num. 1. & 2. Quia ſive opus ſit alias malum, ſive ſolam mali ſpeciem habens, invenitur in eo eadem ſcandali ratio, nempe incitandi alium ad peccatum: atque eodem modo eſt indirectè, & virtute volita ruina proximi. Ergo aut in utroque caſu, aut in neutro malitiam ſcandali ſpecialem tribuet. Deinde quia non eſt melioris conditionis ſcandalizans actu malo, quàm actu bono. Nec actum eſſe ex ſe malum obſtat, quominus ratione circumſtantiæ adjunctæ poſſit quoque in alia mali ſpecie conſtitui. Ut conjugis fornicatio ratione conjugii in ſpecie adulterii conſtituitur. Tandem, quia is actus bonus ratione apparentiæ mali ſcandalizans, aliunde rationem peccati ſpecificam habere poteſt, nempe ab eo actu malo, ad quem ſuo exemplo provocat.

3 Quare probabilior ſententia ait, peculiare ſcandali peccatum tunc tantùm contingere, quando occaſionem ruinæ eo affectu, & animo quis præbet, ut alter in peccatum incidat. Quare ſive conſilio, ſive ſuaſione, ſive exemplo quis alium ad peccatum inducat, non eo fine ut in peccatum incidat, ſed alio quocumque, non eſt ſpeciale ſcandali peccatum, ſed ſcandalum generaliter acceptum, & reducitur ad eam peccati ſpeciem, ad quod inducit. Ratio eſt, quia ſpeciale peccatum ſpeciali fine indiget, & oppoſitione ſpeciali virtuti. At quando ruina proximi non intenditur, non eſt ſpecialis finis, nec ſpeciali virtuti opponitur, ſed diverſi ſunt fines, diverſæque virtutes, juxta vitiorum diverſitatem, ac quæ eſt inductio. Item, quia ſcandalum directè correctioni fraternæ opponitur: ac proinde ſicut ſpecialis finis correctionem fraternam ſpecificans, eſt ſpirituale proximi bonum per illam intentum, ſic ſpecialis finis peccatum ſcandali ſpecificans eſt ruina proximi per illud intenta. Unde non eſt ſimile de furto, & ſacrilegio: quia etſi non intendatur damnum proximi, aut Eccleſiæ injuria, opponuntur ſpeciali virtuti juſtitiæ, & religionis. Et ideo hujus ſententiæ ſunt *Divus Thomas 2. 2. quæſt. 43. articulo 3. & 4. diſtinct. 38. quæſt. 2. articulo 2. quæſtiunc. 2.* Et alii quos refert, & ſequitur *Vaſquez* latiùs probans, ac contraria ſolvens *1. 2. quæſt. 73. articulo 8. diſp. 102. cap. 4. a numero 7. Azorius tom. 1. l. 4. inſtit. moral. cap. 7. quæſt. 1. in fin. & cap. 20. quæſt. 6. in fine, & ſecundo tomo, libro duodecimo cap. decimoſexto quæſt. 2. & 4.*

4 Hinc deducitur primò, incitantem pravo ſuo exemplo ad furandum, non eo animo ut incitatus jacturam boni ſpiritualis patiatur furando, non eſſe reum peccati ſcandali ſpecifici, ſed generici. Sicut in quolibet peccato genericè peccatur contra charitatem. Sed erit reus duplicis furti, alterius proprii, alterius verò, ad quod ſuo exemplo incitat. Et ſimiliter, ſi pravo exemplo ad fornicationem incitet, erit duplicis fornicationis reus. Quod fatentur omnes Doctores primæ & ſecundæ ſententiæ relati *numero* 2. & Doctores tertiæ relati *numero præceden.* ſolique DD. primæ ſententiæ à nobis diſcrepant, quia ſentiunt quoque ibi ſpecificam ſcandali malitiam reperiri. Et hujus reductionis ad eamdem ſpeciem peccati, ad quod eſt inductio, rationem optimam tradit *Cajetan. 2. 2. quæſtion. 43. articulo 1.* Quia implicitum, & explicitum ad eamdem pertinent ſpeciem. At explicitè inducere ad furtum, eſt furtum, & ad fornicationem, eſt fornicatio. Ergo & implicitè pravo exemplo inducere. Item, quia (ut optimè ait *Vaſquez dict. diſput. 102. capitulo 6. in fine*) juſtitia, & quæcumque virtus non ſolos actus contrarios prohibent, qui per ſe contrarii ipſi virtuti ſunt, ſed etiam ne occaſio in ea materia peccandi detur.

5 Ex hoc tamen teneri hunc reſtituere deducet aliquis ſi alter pravo ſuo exemplo ductus furatus ſit, & eſſe irregularem, ſi alter occidat, & exccommunicatum, ſi alter clericum percutiat. Quia hic violat legem juſtitiæ, qua tenebatur impedire, non inducendo alterum ſuo exemplo ad injuſtitiam. Sicut judici, quòd lege juſtitiæ hæc impedire teneatur, imputantur hæc ad reſtituendi obligationem, irregularitatem, excommunicationem, quando ea non impedit. At exiſtimo eum nec teneri reſtituere, nec eſſe irregularem, aut excommunicatum: quòd non perfectè, ac directè lex juſtitiæ violetur, niſi quando quis ita injuſtitiæ cauſa eſt, ut verè influat: aut cum ex contractu, vel officio tenetur impedire, nec impedit. Neutrum autem in hoc caſu reperitur. Et ideo nemo hanc ruinæ in furtum occaſionem vocat injuſtitiæ crimen directè; & perfectè, ſed imperfectè, & reductivè. Immò, etſi directè id furti crimen quis admitteret, ut alium ſuo exemplo ad furandum incitaret, non teneretur furtum ab hoc admiſſum reſtituere. Nec ob eam inductionem incurreret excommunicationem, aut irregularitatem crimini, ad quod ſuo exemplo inducit, annexa. Quòd ea prava intentio tamquam in corde latens minimè influxum aliquem in injuſtitiam ab altero commiſſam addat. Quare ſi defectu influxus illa inductio malo animo carens non ſubjacebat his pœnis, nec ratione mali animi additi ei ſubjacebit. Addo nec judicem, nec Epiſcopum ſuo pravo exemplo ad hæc inducentes teneri reſtituere, nec eam excommunicationem, aut irregularitatem incurrere. Quia judex ſolùm tenetur ex officio impedire, aut coercere damnum inferre volentes, illoſque ad ſatisfaciendum cogere. At cum non ſit paſtor, minimè ex officio bonum exemplum præbere tenetur, impedireque ne alii pravo ſuo exemplo ad damna inferenda incitentur. Epiſcopus autem etſi tamquam paſtor exemplo ſuo teneatur ex officio paſcere: at non tenetur ad id in ordine ad patientem damnum, ut bonis ejus conſulat, & ſic non peccat contra juſtitiam in ordine ad illum. Sed ad id tenetur in bonum, & utilitatem peccantis, ut cum ſuo exemplo paſcat, & à peccato avertat. Qua ratione probabilior ſententia, quam nunc defendit *Suarez 4. tomo in 3. diſput. 32. ſectione 6. ad finem*, tuetur confeſſarium, qui culpabiliter non obligat penitentem ad reſtituendum, non teneri reſtituere. Quòd non teneatur ex officio bonum creditorum procurare, ſed ſolius penitentis, & ideo in ordine ad illos non peccet contra juſtitiam, ſed contra ſolam religionem exercendo negligenter ſacrum miniſterium.

6 Secundò deducitur, ſive dicamus eſſe ſpeciale ſcandali peccatum, ſive ſolùm generale, præbere occaſionem ruinæ, non eam intendendo, eſſe neceſſariò eam ſcandali circumſtantiam fatendam. Quia pertinet reductivè ad eam peccati ſpeciem, ad quam id pravum exemplum incitat: (Ut *numero* 4. probavi. Ita *Bannez 2. 2. quæſt. 43. art. 3. dub. 1. concl. 1. Petrus de Ledeſma 2. tom. ſum. tractat. 4. capitolo 5. fol. 303. pag. 1. Azorius tom. 3. inſtitut. moral. libro 12. cap. 16. quæſt. 2. 3. & 4. Vaſquez 1. 2. quæſt. 73. art. 8. diſput. 102. cap. 3. num. 5.* ubi bene reprehendit *Navarrum Summ. cap. 6. num. 19. & cap. 14. num. 28. & 29. &c. Conſideret, §. Animadvertere, numero 9. de pœnit. dict. 5.* qui etſi nobiſcum conſentiat, eſſe ſemper ſcandali circumſtantiam fatendam, ſive intendatur ruina proximi, ſive non: at diſſentit pro eodem accipiens eſſe ſpeciale ſcandali peccatum, ac eſſe neceſſario fatendum, dicens in hoc eventu utrumque habere. At id *numero* 3. reprobavimus.

7 Tunc autem ſcandali circumſtantia neceſſariò fatenda eſt, quando attentis omnibus circumſtantiis, & perſonæ agentis, & perſonæ, coram qua actus fit, probabiliter putari poteſt fore, ut dictum, vel factum inordinatum unius, ſit occaſio ruinæ mortalis circumſpicienti: ſecùs quando id probabiliter non timetur. Nam in ſolo priori caſu poteſt quiſpiam cauſa moralis ruinæ alterius cenſeri. Sic. *Navar. triplici loco quem num. præced.* allegavi, *Vaſquez ibi allegat. Azorius dict. quæſt. 3. Valentia 2. 2. diſp. 3. quæſt. 18. punct. 2. col. 4. verſ. Quo pacto ſine dub. Bannez. 2. 2. quæſt. 43. art. 4. in fin. Petrus de Ledeſma 2. tom. Summ. tract. 4. cap. 5. dub. 3.* Quod optimè explicat *Navarrus cap. Conſideret, §. Animadvertere, numero 9. de pœniten. dict. 5.* dicens fornicantem, aut vineam ingredientem cauſa furandi uvas, coram eis, qui ad furandum, vel fornicandum, ita parati erant, vel coram viris ita probis, ut neutri ad id incitentur, quia illi ſatis incitati erant, hi autem pravo exemplo minimè inducuntur, non peccare aliquo ſcandali peccato, nec eam circumſtantiam teneri fateri. Quando verò quis publicè abſque prædicta circumſpectione peccat, tenetur eam ſcandali circumſtantiam fateri, ratione periculi, cui ſe incitandi alios ſuo pravo exemplo exponit. Ut bene docent *Bannez*, *Azorius*, & *Petrus de Ledeſma proximè citati*. Et hac ratione cenſeo multos à ſcandali peccato excuſari, quòd vel ipſi tam pravis moribus imbuti ſint, ut de eorum exemplo nil curetur, nec inde argumentum ſumatur ad liberiùs vitiis vacandum: vel de eo curantes, ita ad peccandum faciles, ac inducti ſint, ut non cenſeatur moralis eorum inductio.

8 Non ſatis eſt fateri ſe dicto, vel facto alterum ad peccandum incitaſſe, ſed ſpeciem peccati, ad quam incitavit, fateri tenetur. Quod fatetur *Navarrus Summa cap. 6. numero* 19. quando ſcandalum eſt formale, quo, nempe, ruina proximi intenditur, nil de alio ſcandalo generali dicens. At de omnibus illis idem fatendum eſt. Ut bene docet *Vaſquez 1. 2. quæſt. 73. art. 8. diſputat. 102. cap. 3. num. 7.* Quia cum omnia pertineant ad eam peccati ſpeciem, ad quam inducunt, (ut *numero* 4. probavi,) ea ſpecies confitenda eſt, ut ſic peccati, quod ſcandalizans perpetravit, ſpecies exprimatur. Et quando adfuit expreſſa ruinæ proximi intentio, eſt etiam ea exprimenda. Quia tunc ultra ſpeciem peccati, ad quod ſcandalizans inducit, eſt ſcandalum ſpecificum, juxta dicta *numero* 3. Præterea eſt fatendum quot perſonis ſcandalum datum ſit, etiamſi unica vice, ac unico peccato coram illis perpetratio detur. Nam ſicut explicitè inducere multos ad peccandum auget peccatorum numerum neceſſario in confeſſione exprimendum, ita inducere implicitè pravo exemplo. Quippe utriuſque eadem eſt ſpecies, & ratio, (ut *numero* 4. dicimus.) Deinde ſi ſcandalizantis voluntas feratur expreſsè in proximi ruinam ob perſonæ diſplicentiam, ultra ſcandali ſpeciem, & peccati, ad quod eſt inductio, eſt ſpeciale odii peccatum neceſſariò fatendum, contrarium charitati, qua tenemur proximo benefacere. Si verò non ex diſplicentia, ſed alia ratione, erit ſola ſcandali ſpecialis, & peccati, ad quod eſt inductio, malitia. Sicut enim correctio fraterna ſolùm ſpirituale proximi bonum reſpicit, nec perſonæ complacentiam attendit, ita ſcandalum ſpeciale, quòd directè illi opponitur, ſolam ſpiritualem proximi ruinam ſpectat. Ita *Vaſquez dict. diſput. 102. c. 6. num. 19. & 20.*

9 Quòd ſi petas, quando ſcandalum activum ſit peccatum mortale, ac proinde neceſſario fatendum. Dico breviter dare id ſcandalum, ſive ſit ex expreſſa ruinæ intentione, ſive abſque illa, eſſe peccatum mortale ex ſuo genere, quoties quis illud impedire tenetur, abſtinendo ab opere, ex quo alter ruinæ mortalis occaſionem accipit, & non abſtinet. Quod ex multis ſacræ paginæ teſtimoniis latè probat

Valentia

Valentia 2. 2. diſp. 3. q. 18. punct. 2. in init. Et ratio eſt, quia eſſe alteri voluntariam ruinæ ſpiritualis cauſam, eſt omnino contra charitatem, & illum ejus actum, quo alteri benefacere tenemur. Quando autem ad vitandum id ſcandalum quis teneatur, conſtabit ex dicendis a num. 11. & toto cap. ſeq.

10 Sed ad particularia deſcendendo, ſi ſit ſcandalum formale, quo ruina proximi intenditur: quidam ſuſtinent eſſe ſemper mortale etſi ſola in veniale ruina proximi intendatur. Sic Vaſquez d. diſp. 102. cap. 7. num. 23. & 24. Ducitur quia ruina illa pejor eſt quocumque damno temporali. At ſi hæc ratio intentum probaret, idem utique concluderet, etſi non directa intentione malum proximi intenderetur, malum (inquam) veniale. Et ideo dicendum eſt tunc ſolam eſſe venialem culpam. Quod docent D. Thom. 2. 2. quæſt. 43. art. 4. Abulenſis c. 18. Matth. quæſ. 46. D. Antonin. 2. p. tit. 7. c. 4. §. 4. Caje. Sum. verbo, Scandalum, ubi Roſella num. 3. Angelus num. 2. Sylveſt. q. 2. Tabiena q. 4. Armil. num. 1. Navar. Summa cap. 14. num. 29. Covar. regula Peccatum, 1. p. in initio num. 4. & multi alii, Azor. tom. 2. inſtitut. moral. l. 12. c. 16. q. 7. Et ratio eſt, quia tunc leve proximi damnum deſideratur. Nam (ut bene ait Metina 1. 2. q. 73. art. 8. ad fin.) ad quantitatem culpæ diſcernendam, non eſt conferendum culpæ venialis damnum cum damno temporali: hoc enim quantumcumque ſit, exceditur ab illo, quantumvis minimo, utpote ſuperioris ordinis damno. Sed quodlibet damnum eſt in ſuo genere ſpectandum. Et ideò damnum culpæ venialis, quod in ordine ſpiritualium eſt leve, non conſtituit culpam mortalem. Temperant autem hoc D. Thom. Abulenſis, Roſella, D. Antonin. Angel. Sylveſt. Tabiena ibidem, niſi per actum peccati mortalis intenderet ſcandalizans inducere alterum ad veniale: tunc enim dicunt id ſcandalum eſſe mortale. At hæc limitatio non caret difficultate. Quia hujus ſcandali culpæ quantitas ex ſolo proximi damno penſanda eſt. Cum ergo id ſit leve, & veniale, nil conferet id medio mortali ſcandalizantis intentum eſſe. Sicut ſi per fornicationem intenderet quis rem minimam furari, etſi fornicatio ſit in ſe mortalis, furtum tamen intentum veniale eſſet. Et ideò hanc limitationem in eo ſolo caſu veram intelligo, quando ſcandalizans ita inordinato affectu illam venialem proximi ruinam intenderet, ut in ea conſtitueret ultimum finem, illi peccatum mortale poſtponens: & tunc ea circumſtantia eſſet neceſſariò fatenda: ſecùs quando ex levitate, & facilitate quadam. Ut in ſimili diximus. cap. præced. num. 14.

11 Quando autem ſcandalum eſt generale, tunc ſi dictum, vel factum, quo quis proximum ſcandalizat, eſt mortale, ſcandalum erit mortale: & ſimiliter ſi opus de ſe non ſit malum, ſed mali ſpeciem habens, & advertitur fore occaſionem ruinæ mortalis proximo, vel fuit gravis culpa id non advertere. Si verò opus ſit veniale, vel in bono habenti mali ſpeciem adfuit levis inconſideratio, erit veniale. Sic D. Tho. Abulenſis, D. Antonin. Caje. Roſella, Angelus, Syl. Tabiena, Covar. num. præcedenti allegati. Sed hoc intelligendum eſt regulariter. Nam ſicut non eſt mortale, quando peccatum mortale fit a talibus perſonis, & coram talibus ut veriſimile ſit, fore ut non incitentur: (ut diximus num. 7.) ita peccatum veniale poteſt effici mortale ratione ſcandali, quando a tali perſona, & coram talibus fit, ut merito exiſtimandum ſit, adſtantes inducendos eſſe ad mortale. Ut ſi a perſona valde religioſa verbum turpe veniale publicè diceretur. Vel ſi quis joco verbum amatorium conjugatæ diceret coram viro valde zelotypo, ex quo probabilis timor rixæ gravis eſſet. Qua ratione optimè D. Thom. 1. 2. quæſt. 88. artic. 5. corpore, Suarez 5. tom. in 3. par. diſputat. 18. ſectione 3. num. 17. Toledo lib. 3. Summæ cap. 2. num. 3. in fine, Philarcus de officio Sacerd. tom. 1. par. 2. lib. 3. cap. 1. verſ. Peccatum ex ſe veniale, optimè dicunt peccatum veniale poſſe ratione ſcandali in mortale tranſire.

12 Tertiò ex dictis deducitur, dum Doctores in multis dicunt, ceſſante ſcandalo aliquod opus non eſſe illicitum, aut non eſſe mortale, & dum in ſacris litteris ſcandalum damnatur, non id accipiendum eſſe de ſcandalo ſpeciali, per quod ruina proximi intenditur, ſed de ſcandalo generaliter accepto, quo occaſio ruinæ proximis præbetur. Quod bene docent Valentia 2. 2. diſputatione 3. quæſt. 18. punct. 2. colum. penult. verſic. Quartò accedit, Bannez 2. 2. quæſt. 43. art. 4. dub. 1. in probatione primæ concluſionis. Et conſtat, quia Doctores id paſſim dicunt, & in Scriptura ſacra non ſemel hujus peccati mentio fit, ſed ſæpe tamquam ejus, quod non raro ab hominibus perpetratur. Ut conſtat ex c. 18. Matth. & 1. ad Corinthios 8. At ſcandalum ſpeciale rariſſimum eſt; cum dæmonis proprium ſit ſpiritualem proximi ruinam intendere.

13 Quarto deducitur, quid in ea quæſtione dicendum ſit, an petens corpus a fœmina parata teneatur ultra ſuum fornicationis peccatum, circumſtantiam hanc ſcandali generalis, ſeu inductionis ad peccatum fateri? Quibuſdam eam non eſſe ſcandali circumſtantiam videtur. Quia tunc revera non datur ſcandalum, nec propria, & moralis inductio eſt: cum voluntas ex ſe, & ſua ſponte expoſita ſit. Et ita loquens de meretrice tenet Sotus lib. 6. de juſtit. quæſtione 1. artic. 5. verſic. Hæc autem ſpecialis ratio. Et loquens de ita parata, ut ſit quaſi in actuali, aut virtuali peccandi voluntate, tenet Suarez 4. tom. in 3. part. diſput. 22. ſect. 4. num. 18. Et loquentes de parata tenent Enriquez l. 5. de pœniten. cap. 6. num. 7. Salon. 2. 2. q. 62. art. 2. controverſ. 2. p. 187. & Azor. tom. 2. inſtitut. moral. lib. 12. cap. 16. quæſtio. 5. Et videntur expreſsè tenere Metina lib. 1. Summæ cap. 9. §. 2. Alcozer. Summa cap. 20. fol. 74. Manuel. 1. tomo Summæ, in 2. editione cap. 213. num. 5. Valentia 2. 2. diſputatione 3. quæſtione 18. punct. 2. ad finem, in ſolutione ad 3. Ludovicus Lopez 1. p. Inſtructorii, cap. 37. ubi dicunt eſſe circumſtantiam inducere non paratam. Quare à contrario ſenſu aliud de parata ſentiunt.

14 At exiſtimo eſſe circumſtantiam ſcandali generalis, ac inductionis ad peccatum. Ducor, quòd omnes fere tamquam certiſſimum fateantur, eſſe mortalem culpam ſcandali generalis, ac inductionis ad peccandum, petere a malefico quamtumvis parato, ut maleficum maleficio ſolvat. Et eam reddunt rationem, quòd maleficus id juſte exequi nequit. Et quantumvis paratus eſſet, hoc numero peccatum hoc non petente, non perpetraret: & quamvis perpetrandi voluntatem haberet, non exequeretur, niſi hic induceret. Quæ omnia late oſtendimus l. 7. de matrim. diſp. 95. num. 7. Quare optimè Cajet. 2. 2. quæſtio. 78. art. 4. paulo poſt principium hæc ait: Adverte ſemper in caſibus ut diſcernas, ſi actus petitus poteſt ab eo, à quo petitur, ſine peccato fieri. Quia hæc radix eſt liciti, vel illiciti, cum de uſu peccati alterius agitur. Si enim quis peteret ab aliquo actum, quem non poteſt exercere abſque peccato, procul dubio ad peccandum eum induceret, quantumvis paratiſſimum. Quæ omnia in hoc caſu militant: cum conſtet mulierem non poſſe licitè fornicationem a ſe petitam admittere, nec exequeretur id numero peccatum hoc non petente. Et confirmatur, quia Suarez 3. tom. in 3. p. q. 65. artic. 4. diſputatione 18. ſectione. 1. corollario 2. ait eſſe mortale petere Sacramentum a miniſtro parato, exiſtenti tamen in mortali, & abſque ulla petentis neceſſitate. Et reddit rationem, quia offertur ei aliqua materia, ex qua ipſe hìc & nunc occaſionem peccandi ſumit. Si ergo in re, quam alter bene exequi poteſt, ac culpa ſua prave exequitur, eſt mortale abſque neceſſitate eam occaſionem hìc & nunc peccandi offerre. Nedum in re quam exequi juſte nequit. Secundò, quia petens a meretrice in lupanari expoſita, ut peccet cum quodam tertio, etſi non intenderet ut peccaret, ſed oretenus id diceret, delinqueret mortaliter peccato inductionis. Ut bene docet Navarrus Summa Latina cap. 14. num. 38. At non minor culpa eſt, ſed ejuſdem prorſus rationis petere, ut ſecum fornicetur. Tandem, quia petens à paratiſſimo ad vindictam, ut ambo vindictam ſumant, non ſatis fateretur dicens ſe vindictam ſumpſiſſe, ſed alterius inductionem exprimere teneretur. At fateor in confeſſione non opus eſſe hanc circumſtantiam declarare inductionis fœminæ paratæ: non quòd ſpecialis circumſtantia non ſit, ſatis enim talem eſſe probavi. Sed quia cum quis fornicationem propriam fatetur, ſatis explicat a communiter accidentibus ſe petiiſſe, ac fœminam invitatam eſſe. At ſi non fornicaretur, ſed tantùm petiiſſet ab illa corpus, non ſatis fateretur dicendo ſe cum fœmina deſideraſſe peccare, ſed inductionem exprimere teneretur, utpote quæ in eo deſiderio minimè exprimitur. Alias ſi ſine fornicandi animo dixiſſet, ita tamen ut ſerio videretur dicere, non teneretur eam inductionem fateri. Quod etiam non leve argumentum ad noſtram ſententiam comprobandam eſt. Et ſimiliter ſi fœmina virum paratum invitaſſet, teneretur hanc inductionem fateri: utpote quæ in ſua fornicatione non declaratur. Tandem, quando mulier non eſt parata, tenetur vir inductionem fateri. Ut bene tradit Azor. ibidem. Quia eſt circumſtantia ſcandali notabiliſſimè aggravans ſupra eam, quando ipſa eſt parata, nec in ſua fornicatione exprimitur. Vide l. 3. c. 8. num. 28. ubi reprobo quod dicit circa hoc Valentia.

15 Quinto deducitur, qualiter intelligatur ſcandalum, dum Doctores dicunt ficte profeſſum, & virum adulterii occulti uxoris conſcium, non poſſe in eodem loco ſeparatim vivere, ratione ſcandali, at poſſe in longinquum fugere, ubi minimè agnoſcatur, & ita id ceſſet. Nam ex ea fuga ſcandalum oriri videtur. Sed dic oriri quidem; at cum paucis duret diebus, abſentia enim viri, aut religioſi è memoria cadet, non eſt tanti momenti, ut ſit illud neceſſariò vitandum cum tanto detrimento, quantum eſt cogi ad perpetuam vitam regularem, ad quam ille non tenetur: vel virum cum adultera habitare. Secùs quando ſcandalum præſentia viri, aut religioſi foveretur, & ſic perſeveraret.

16 Sextò deducitur reſolutio ejus difficultatis. An fœmina conſpectui viri ſe offerens, a quo ſe turpiter amari novit, peccet mortaliter peccato ſcandali, quando nullatenus eum ad ſui amorem provocare intendit. Communiter Doctores eam peccare moraliter cenſent, quando nulla neceſſitate ducitur, ſed ut ſuæ voluptati ſatisfaciat, indifferenter hac, & illac diſcurrit: ſecùs quando ob cauſam neceſſariam, ut inviſendi vicinas, ne minùs urbana habeatur, eundi ad Eccleſiam, &c. Quia tenetur quis ſpirituali proximi ſaluti conſulere, niſi ex aliqua cauſa excuſetur: Ita ſentiunt D. Antonin. 2. p. tit. 7. c. 4. §. 4. ad finem. Sylveſt. verbo, Scandalum, quæſtione 2. Navarr. in omnibus Summis, c. 14. num. 30. & Latina etiam num. 37. & Hiſpana cap. 28. additione ad num. 30. c. 14. §. La ſexta. Corduba Summa, quæſtione quinta, fol. 30. Metina 1. 2. c. 74. artic. ſexto, ad 3. fol. 677. Azor. tomo ſecundo, inſtitut. moral. lib. 12. cap. ultimo, quæſtio. 12. Zumel. eadem quæſt. 74. artic. 8. diſputat. 4. Idem tenet Ludovicus Lopez 1. p. inſtruct. c. 20. in fine, cum hac moderatione, ut non ſemper ob id teneatur ſe ſua libertate privare, ſed ſemel, aut bis. Idem ait Navarr. de eo, qui ab aliquo ſe odio capitali affici videt, & abſque aliqua cauſa fit obvius ei.

17 Aliis

17 Aliis tamen placet hanc non peccare mortaliter. Quòd ea occaſio potiùs ex propria adamantis turpiter malitia ſit accepta, quàm à muliere data, quæ jure ſuo, & libertate ſibi conceſſa utitur. Nec ea commodè privari poteſt, quin mille ſcrupulis aditus pateat, circa egreſſum è domo, an neceſſarius ſit, nec ne. Deinde, quia ex hac cauſa mulieres ſe ſuperfluè ornantes non peccant mortaliter, juxtà communem ſententiam. Cum tamen luce meridiana clarius eis pateat, fore ut ob id à pleriſque juvenibus turpiter amentur. Et ideo quamvis priorem ſententiam probabilem credam, exiſtimo veriorem eſſe hanc poſteriorem, ut non ob id teneatur fœmina ſua ſe egrediendi domo, ſtandi ad oſtium domus, vel feneſtram, diſcurrendi per civitatem, libertate privare. Quod tenent Cajetan. 2. 2. quæſtione 154. artic. 4. in fine, & quæſt. 169. art. 2. ad 5. dub. Armilla in ſua Summa, verbo, Ornatus, num. 3. & verbo, Scandalum, num. 3. ubi & Palacios. Si tamen data opera abſque ulla ſe ejus conſpectui neceſſitate offerret, ſed quadam vanitate ducta, nec turpis amoris alterius ignara, etſi illum non intenderet, neſcio eam culpa mortali liberare. Quia aliud eſt ſua ſe quocumq; eundi libertate privare, quòd commodè, & abſque anxietate, ac ad ſcrupolos aditu præſtare nequit: aliud autem data opera ſe ejus aſpectui offerre, quod facillimo negotio vitare poteſt, nec in oblatione illa aliquid utilitatis eſt.

18 Tandem ſupereſt difficultas. An ſcandalum hoc generale tantùm contingat; quando inductio fit ad peccatum ejuſdem ſpeciei cum eo, quod ſcandalizans perpetrat, ut ſi publicè furans inducat ſuo exemplo ad furtum? Ratio dubitandi eſt, quia communiter Doctores exemplum ſcandali adhibent, ut Navar. Summa, c. 14. Latinè, num. 44. in fine, Hiſpanè num. 31. Metina lib. 1. Summæ, cap. 14. §. 16. & alii, ſi quis die veneris carnibus coram aliis veſcatur, ſola latenti cauſa excuſatus, nec de illa certiores reddit adſtantes. Cum tamen numquam ex eo adſtantes ad carnes edendas inducentur, immò id tamquam Lutheranorum proprium abhorrent. Preterea, quia D. Antonin. 2. p. tit. 7. cap. 4. §. 4. colum. penult. Sylveſt. verbo, Scandalum, quæſt. 2. in fine. Navar. Summa, cap. 14. Hiſpanè num. 30. Latinè num. 31. dicunt ſcandalum mortale eſſe, quando quis nulla neceſſitate ductus familiari mulieris ſuſpectæ conſuetudine utitur, advertens alios inde ſcandalizari nefaria cogitando, & judicando. Atque Navar. addit ſimile ſcandalum eſſe, ſi quis domi cognatam habeat, vel frequenter mulierem inviſat, quando inde populus detrahendi, ac malè ſuſpicandi occaſionem accipit. Ubi Doctores hi malitiam ſcandali eò referunt, ut detur per opus ſpeciem mali habens anſa detrahendi, atque pravæ ſuſpicionis. Ex altera parte valde urget, nam ſi inde malitia ſcandali deſumatur, dicendum erit generale ſcandalum ferè ſemper multa peccata ſpecie diverſa continere: nimirum id, ad quod directè inducit, & detractionem, ac malam ſuſpicionem. Præterea, quia ſi malitia ſcandali in exemplis prædictis ad ſolam detractionem, & mali ſuſpicionem referatur, non erit mortalis. Cum in eo caſu ſatis utriuſque anſa detur: nec detractio illa ſit mortalis inter adſtantes: quòd ſi coram neſcientibus detrahatur, id ſoli detrahentis malitiæ tribuetur.

19 Quidam vir doctus à me per epiſtolam conſultus reſpondit, non eſſe mirum contrahi culpam lethalem, non vitando venialia in multis. Sicut prælatus religionis peccaret mortaliter permittendo frequenter regulas religionis ad ſolum veniale obligantes violari. At hoc non ſatisfacit. Quia id conſurgit ex obligatione, qua bonum religionis progreſſum procurare tenetur. Qui ex dicta permiſſione non mediocre detrimentum patietur. Item, quia hic peccans unius tantùm, vel alterius venialis cauſa eſt.

20 Ideo in hac quæſtione dicendum exiſtimo, non ex mera detrahendi, aut malè ſuſpicandi anſa malitiam ſcandali non incitantis ad ſimile peccatum conſurgere, ſed quando à perſona boni nominis præbetur, & coram talibus, ut jure optimo timendum ſit fore, ut bona virtutis exiſtimatio minuatur, (quod vulgo dicitur, deſacreditarſe la virtud, & detur anſa peccata temnendi, & facilis in ipſa lapſus ex malo illo exemplo dato. Et tunc hoc ſcandalum tamquam inducens ad ſolùm peccandum in genere, non reducetur ad aliquam ſpeciem particularem. Sed ſicut ſi quis expreſsè induceret ad peccandum in genere, nec timendum peccata lethalia, id peccatum inductionis ad nullam ſpeciem determinatam pertinebit, ſed eſſet contra præceptum generale, quo quiſque gratiam Dei conſervare tenetur. Ita idem dicendum eſt, cum implicitè ſuo pravo exemplo ad eadem inducit. Quare in exemplis num. 18. adhibitis a Doctoribus, quos ibi retuli, malitia ſcandali non in pravam ſuſpicionem præciſè referenda eſt, ſed quia videntes & occaſionem pravè ſuſpicandi accipientes, inducuntur ad ſimilem concubinatum, quem de alio ſuſpicantur.

21 An verò liceat offerre famulis, uxori, & filiis, occaſiones delinquendi, aut permittere, ut deprehenſi puniantur: dixi lib. 10. de matrimon. diſputat. 12. n. 52. & 53.

CAPUT VII.

Quando cenſeatur ſcandali anſa, atque particeps peccati alterius, ad idque culpabiliter concurrere, vendens res indifferentes alteri, aut illi ſuppeditans, miniſteriave indifferentia exhibens, quibus conſtat eum ad peccandum abuſurum?

SUMMARIUM.

Si ea intentione hæc quis efficiat, ut alter pravam ſuam intentionem exequatur, eſt ejuſdem culpæ particeps. num. 1.

Idem, ſi abſque prædicta intentione obſequia ex ſe in malum ordinata exhibeantur. num. 2.

Quid ſi res indifferentes ſint, & miniſtrantem prava alterius intentio lateret: & quando ad eam indagandam diligentiam adhibere teneatur? num. 3.

An peccet indifferentia miniſtrans, ſciens alterum velle abuti? Refertur triplex ſententia, num. 4. 5. & 6.

Conciliantur, & explicantur hæ ſententiæ, num. 7.

Præbere alteri materiam peccandi proximam, ex ſe tamen indifferentem, non eſt directè alterius peccato cooperari, num. 8.

Explicatur quando tunc inveniatur cooperatio indirecta, n. 9.

Explicatur ex qua virtute oriatur obligatio vitandæ miniſtrationis indifferentium eis abuſuro, num. 10.

Explicatur qualiter obligatio vitandi, aut non vitandi pendeat ex cauſa cogenti non vitare, num. 11.

Explicatur quando majori cauſa opus ſit, & quando minor ſufficiat, num. 12.

Explicatur ſententia Auctoris, quando liceat, & quando non hæc indifferentia miniſtrare, n. 13.

Quid, ſi abuſus in ſcandalum innocentis, & puſilli cedat? n. 14.

An excuſet hæc miniſtrantem, alterum paratum eſſe ad abuſum, eumque jam actu interno peccaſſe? n. 15.

An excuſet eo non ſuppeditante alterum miniſtraturum? n. 16.

An excuſet eſſe dubium, an alter velit abuti? Et explicatur, quando venenum vendere liceat, n. 17.

An liceat hæc vendere, aut miniſtrare abuſuro contra juſtitiam: & ſcalam admovere furari volenti, dare arma, vel oſtendere ubi ſit inimicus, interficere volenti; cymba tranſvehere volentem occidere inimicum, aut inire duellum? Et explicantur, quæ liceant remigibus Chriſtianis in triremibus contra Chriſtianos, n. 18.

An quando abuſus eſt contra juſtitiam, teneatur miniſtrans indifferentia cauſa non excuſanti, damnum reſtituere? n. 19.

An liceat meretrici, aut uſurario domum locare? n. 20.

An liceat Chriſtianis genufleEtere cum domino infideli genufle&ente idolo, eumque humeris ſuſtentare? n. 21.

An liceat famulis ſternere equum, herum comitari, & expectare, non cuſtodiæ cauſa, quando ad fornicandum, vel ad duellum tendit? n. 22. & ibi quid de non famulis?

Quid, quando cuſtodiæ cauſa, velut cum, ſi opus fuerit, defendant? num. 23.

An liceat menſam ſternere, eique miniſtrare, ac cibos condire concubinæ? num. 24. & ibi an liceat eam ornare?

Quid de concubinæ in domum concubinarii, aut in alium locum adductione? n. 25.

Quid de ſcribentibus, aut deferentibus ſcripta, vel internuntia ad concubinam? n. 26.

Quid de famulis fœminam inſequentibus, aut inquirentibus ubi habitet, ut herum domum concubinæ doceant, vel quærentibus illi fœminam, cum qua peccet? n. 27.

Quid de deferentibus, aut ſcribentibus ſcripta ad duellum provocantia? num. 28.

Quid de deferentibus eſculenta, aut munuſcula concubinæ? n. 29.

Quid de aperientibus januam domus concubinæ, aut docentibus ubi herus ſit, vel illo aſcendere per feneſtram volenti admoventibus ſcalam, vel humero ſuſtinentibus? n. 30. Et ibi an hæc omnia miniſteria facilius ſervis liceant, & quando non famulis quoque licita ſint?

An liceat mutuo dare nummos, aut cubiculum accommodare fornicari volenti? n. 31.

Patroni meretricum, quæ erga illas abſque peccato exercere poſſunt? n. 32.

Tabernarii aut caupones vendentes vinum, quo ementem inebriari norunt, quando peccent? n. 33.

Quando peccent miniſtrantes cibos ſoluturo illis jejunium? num. 34.

An peccent illi menſam ſternentes, menſæ miniſtrantes, condientes cibos? n. 35.

Quid de deponentibus pecunias apud uſurarium, quem illis ad uſuram norunt abuſurum? n. 36.

Quid de tradentibus vinum vendendum tabernario, quem norunt vinum corrigere ſimulando vitium, aut aquam miſcere? n. 37.

Quid de incitantibus judicis concubinam, muneribus ei datis, ut apud judicem intercedat? n. 38.

An peccent mortaliter artifices taxillorum, aut illos vendentes? n. 39.

An pingens imaginem puellæ petitione amaſii peccet? num. 40.

1 Conſtat apud omnes, miniſtrantem quantumvis indifferentia eis abuſuro, ea intentione, ut alter pravam ſuam voluntatem exequatur, ejuſdem culpæ participem fore. Hoc enim eſt directè ad malum cooperari. Ut aſſerit D. Tho. 2. 2. q. 169. art. 2. ad 4.

B ubi